

DISSERTATIO MEDICA,

IN QVA VTRVM

PROCVRATIONE PAROXISMI
apoplectici, cauteria capitis accusari
debeant, exagitur.

PER DOCTOREM IOSEPHVM
*Bonauenturam Roldan, Medicinæ Doc-
torem, in Valentimorum Academia, primo
theoricæ, post modum Vespertinæ Medicæ Ca-
thedræ professorem; eiusdem facultatis cen-
sorem, & utriusque Senatus, Secularis,
& Ecclesiastici Murciana Civitatis
Medicum.*

Anno.



1667.

Murciæ, Ex Typographia Michaelis Lorente.

REPUBLIC OF SOUTH AFRICA
MINISTRY OF EDUCATION

MEMORANDUM FOR THE RECORD
DATE: 1994/05/10
SUBJECT: [Illegible]

1. [Illegible]

2. [Illegible]

3. [Illegible]

4. [Illegible]

5. [Illegible]

APROBACION DEL DOCTOR
D. Diego de Sicilia, Canonigo Penitenciario
de la Santa Iglesia de Cartagena.



OR Remision, y Comision del se-
ñor Lic. D. Francisco Roco San-
chez de Montenegro, Consultor,
y Iuez ordinario del Santo Oficio
de la Inquisicion, Prouisor, y Vi-
cario General deste Obispado de
Cartagena, por el Illustrissimo se-
ñor Doctor D. Mateo de Sagade
Buguciro, Arçobispo, Obispo del
dicho Obispado, del Consejo de su Magestad, &c. He visto
esta questio de Medicina, sobre executar cauterios de fuego
en la Cabeça, fecha por el Doctor D. Ioseph. Buenauen-
tura Roidan, Medico desta muy Noble, y muy Leal Ciu-
dad de Murcia, y no hallo tenga cosa contra nuestra Santa
Fè Catholica, y buenas costumbres, antes de mucha vtili-
dad, y prouecho para los que professan la facultad, por lo
doctamente que prueba su intento, en materia tan difficul-
tosa: y assi es digno su Autor, no solamente de que se le de
Licencia, para imprimirla, sino de ser premiado, assi lo
siento. En Murcia en 21. de Agosto de 1667. años.

Doct. D. Diego Sicilia.

AMICO LECTORI.

DE munere cuiuslibet docti vel indocti artificis esse, intima in consultationibus artis præcepta exprimere; à nullo poterit cordato inficiari: sed experientiam rationi dominari velle, non minus erit erroneum, quam stomachari, quia proprium votum (adhuc si rationi repugnet) vel contradicatur, vel exprovetur. *Hoc genus hominum* (dixit Ludovicus Bonaciolus) *dicit se ac suam barbariem volunt extollere, ceteros qui disertius quàm ipsi loquuntur, nolunt habere in numero Philosophorum.* Nec in occultis rebus experientiam cognitionum magistram poterunt quæ refero objurgare; igitur solum contra illos, qui medicæ nostræ facultatis, oblitis, vel planè non intellectis principijs ordiuntur telam, telum immitto. Aliqui enim numero annorum se comparasse medicinam contedunt; & in consultationibus, non rationes vt probent, sed experientiam ad sui propugnaculum vnicum argumentum adducunt. Hi more empiricorum soli experientiæ se tradunt, & causarum naturalium more Methodicorum cognitione carentes, sua rudi experientia cognitionem habere complexionū afferentes, vulgi volunt obstringere voluntatem. De his mathercle, quæ gal. lib. de ther. ad Pis. cap. 16. propalavit fat alienum foret subicere: *Quo circa si quis miser in Methodici tanquam in alterius belluæ manus incidat, præculdubio morietur, ex consequitione doctatit ab eo interfectus, quoniam vt è secta non recedat; inuestigare causas nolunt.* Experientiam ergo non multum exacuerè, non concedam, sed hæc comedo poterit sine theórica emicare; sicut theórica, quamlibet aliam longiorè experientiam, ab experientia paucorum annorum superari conspicamur? Nec hoc qui plures juvenes medicos in practicis, alijs multo senioribus doctiores confectabitur, cõtemnere poterit. His comparemus quæ Galenus de libris proprijs cum egisset in lucem coniecit: *Medicos qui solam experientiam sequuntur non admittimus; quoniam ipsi sicut idiotæ faciunt*

siunt, quæ vident insipientes, rerum quidem euentum mirantur.
 Fidunt aliqui medici fortunæ, sed hos Gal. II. Meth. dum re-
 darguit, minime sua ignorantia, vel suo crimine egolvit;
 quia scientiam raro suo sine frustrari, fortunam vero raro
 suum finem consequi ex 9. de Hip. & Plat. decret. cap. 8. ex-
 perimur. Propter hæc in Phedro. Plato sine dubio conscrip-
 sit: *Siquis dicat se multa scire, & callere artem medicorum, facul-
 tates remediorum nosse: nequaquam autem sciat, & quibus, &
 quantum, & quomodo, is insanus iudicetur.* Quia medicina (ex
 Hipp. lib. de flat) & nunc, & Paulo pass, non idem facit, &
 in eodem contraria facit, & hæc etiam sibi ipsis contraria. Ex pos-
 tulari cauteria premissa aliquali euacuatione, præparoxismo
 apoplectico debellando, ab aliquibus edocetur; quibus au-
 tem rationibus id emetiatur validis caremus. Exurimus e-
 grotos, illosque, crudeli, & minime indicato remedio,
 soli experientiæ aliquorum fidentes, scitius quotidie à vita
 exheredamus; rationemque sua dignitate expoliamus. Prop-
 ter hanc ergo calamitatem, dissertationem educere præ sen-
 tem decreui, vt si fieri possit, limpida ab autoribus veri-
 tatem extorqueamus. Circa quendam nobilem virum, cum
 medico seniore, de cauterio conficiendo mihi euenit ca-
 sus; quare circa illum conclusionem firmans, ne amplius si
 fieri possit, medicæ nostræ facultatis alumni, a fallaci cau-
 teriorum experientia in errorem ducatur; proprium votum
 exequar. Cupiui veritatem exponere beneuole lector; si
 tamen quæ dixero non te delectent, votum non deseram,
 quem cum Gal. & Hipp. instaurau.

PROPONITVR CASVS.

D OMNVS Franciscus de Paz, & Guzman,
 Nobilissimi Prætoris, huius inçlytæ Murcia-
 næ Cinitatis filius, ætate viginti trium anno-
 rum in adolescentia constitutus; sanguineum
 temperamentum, & paululum sibi arrogabat adustum. Co-
 lor

lor eius torridus aliquomodo erat, & capilli nigri prædictum temperamentum ominabantur. Gracilis mediocriter erat, & hirsutus, cum amplitudine venarum, partium solidarum aliqua duritiè, pulsu magno, optima partium similarium, & organicarum exacta simmetria; quæ omnia bilis cum sanguine mirabilem concordiam detegebant. Hic quadam ventriculi, & lienis imbecillitate cruciabatur, cuius ratione flatu præmebatur non leui. Temporis diurnitate per idiopathiam capite affecto, iterata vestigine fuit correptus; hanc naturæ fidens, multoties in minimis posuit, & omnibus externis rebus utebatur, tanquam si integræ lassitate frueretur. Aucta ergo, & commota cruditate, post varia exercitia, & quoddam antivenenum, bacanaliorum tempore factum, ad nonam ferè noctis horam, adurabili vertigine, excitato flatu fuit superatus. Hac declinante sicut iam pridem illi eveniebat intali affectu, lingua torpore aliquo affecta remansit. Per roborantia, discutientia, & euacuantia medicamenta, externa, & interna, sensibili per sefessum consecuta euacuatione, à ructu, flatu, & ventris inflatione quieuit æger, & sarcinam ventriculi ita dimisit, ut eadem calamitas, iam non imminere videretur. Post hanc tranquillitatem ad matutinum tempus, flatu iterum excitato, & totius corporis concurrentibus venis, forti apoplexia, ex secunda specie ex adductis à Gal. 3. de loc. afec. cap. 10, in summum vitæ discrimen oppressus æger vocabatur. Orbatus erat sensu, & motu, violentumque spiritum, magnum, raram, cum stertore, & intermissione sustinebat. Spuma etiam erat in ore, quæ pulmone vehementer concusso, nimiam humorum, & flatulentorum spiritum agitationem denotabat; ex laboriosa etiam respiratione, in qua muscoli omnes, non solum inter costales, sed mouentes thoracem operabantur; ita erat magno labore confecta natura, ut corpus sudore calido vniuersali copioso admodum madidū obseruaretur. Terribilis, & valida nimis erat apoplexia, tantaque eius magnitudo, quanta a Gal. 4. de loc. afec. cap. 2. promul-

3.
1. promulgatur. Nec mirandum sic contigisse, quia non so-
lum ventriculos cerebri; sed ipsius substantiã à superabun-
danti à poplexiã causa infestari; pro certo est tenendum.
His adde plexum mirabilem, & carotides etiam, quæ viam
spiritui vitali parant intercludi; nam tanta à poplexia, tan-
ta respirationis noxa, similes obstructions sufficienter tes-
tantur.

2. Hanc apoplexiam à duplici humoris occursum, pituitæ
scilicet, & sanguinis originem habuisse non dubito: à pitui-
ta imprimis, quia hæc a flatu valido agitata, caput, in quo
propter frigidam intemperiem sufficiens præcedebat dispo-
sicio, vt à partibus infernis irrupisset, confestim oppugna-
uit. Sanguis ratione temperamenti; ætatisque redundans,
maius affectui damnũ importabat; vnde capite per propriũ
affectum affecto; duo fuere constituentes apoplexiam hos-
tes. Hos dictos humores Auicena causas apoplexiã conce-
dit, nec Gal. fuit refragatus, quia licet 2. de caus. simp. cap.
7. solius pituitæ meminisset; lib. de cur. rat. Per sang. miss.
cap. 8. sanguinem non improbauit. Sanguinem vero huic
ægroto incommodasse, rubor faciei, distentio venarum, pul-
susque plenus, & validus testabantur. Præter hæc, vasa vtrin-
que in colo qua parte recta, vsque ad caluarie basim du-
cuntur, longè turgidiora cum à parerent, & venarum obs-
tructionem, & artierarum spiritum vitalem in cerebrum de-
ferentium monstrabant; tum etiam de obstructione plexus
mirabilis, & de excedere sanguine testimonium perhibebat.

3. Ex dictis quam desperatus calus esset, iam aparet; igitur de omnibus cum oris spuma apoplexia constitutis, cum
Hipp. 2. Aph. sent. 43. medici omnes desperamus. Et maio-
ri ratione apoplexia hæc pertimescenda erat, quæ ita vali-
dum juvenem debellabat, si morbum indicamus grauiorẽ,
quanto potentior naturam de primit. Hoc non obstante,
licet ex spe decidens, in curationis arcem pericula repo-
nens totis viribus inuasi: quarè remediorum omnia aprac-
ticis nostris obseruata genera, per auertentia, euacuantia,

† & discutientia medicamina , in clysteribus acerbis , supposito-
 rijs cucurbitulis , frictionibus ligaturis , sanguinis missione-
 nibus linimentis suffitibus , errinis , & alijs præscripta fue-
 re ; sed in omnia malum dominabatur . Solum secundum
 medici senioris consilium , cauteria capitis , occipitis præ-
 fertim , vel sincipitis , quibus acclamauit , exoptari poterant ,
 ad talem desperatum casum . Hæc tamen , adductis ame con-
 tra deliberationem aliquibus rationibus , periculum cum
 augurarer , ab omnibus adstantibus fuerunt recusata . Illas
 nunc de nouò fulcitas in præsentî refero , vt difficultas hæc
 a nostris practicis oblita ferè , vel leuissima manu tacta , si
 fieri possit relinquatur enucleata .

NATVRA, ET DIFFERENTIAE cauteriorum breui expediuntur.

† **P**ROPONENDAE conclusionis dignitati , na-
 turam , & differentias exponere cauteriorum ,
 plurimum commodi , & claritatis præstare , non
 est cur miremur ; cum ad aliquas autoritatum
 expositiones , tum , & obiectionum solutiones , plurimum
 nobis hæc doctrina promittat . Proderit ergo , quid , & quo-
 tplex sit cauterium breuiter providere ; vt oppositis ratio-
 nibus clarius occurramus . Talis est cauteriorum communis
 definitio : *Combustio imperfecta facta in parte* . Imperfecta ,
 quia propriè combustum , quod in cinerem conuertitur nun-
 cupatur . A doctissimo Heurnio lib. 12. inst. med. cap. 6. me-
 th. med. natura cauterij clarius de promittitur , ex sequenti-
 bus verbis : *Combustio ab igne imperfecta , ut membrum si me-
 tur , morbificaque causa excludatur* . Gauassicus cap. 3. trac de
 natu caut. *Vicissuluz in extrema parte humani corporis ; à re à lu-
 rente opera chirurgi excitatum , et excibus materie morbificæ pau-
 latim euacuandæ prebeat* . Cauteria esse exarauit . Et merito
 quia per li paulatim qualis sit modus operationis cauterij
emittitur

5
emetitur; quod non leue nostræ conclusioni, momentum adducet. Præterea in hac definitione, clarius actualia, vel potentialia cauteria, quæ vel per vesicantia, vel per scarotica, vel per caustica, perficiuntur (de quibus omnibus præsens est disputatio) continentur.

5 Cauterio perse diuisso in actuale, vel potentiale; alias differentias accidentales, quæ ratione finis constituuntur adijcies. Quare ab omnibus cauteria, in euacuatoria deriuatoria, & revulsoria diuissa reperies. Quæ parti affectæ affiguntur, euacuatoria; quæ vicinæ, deriuatoria; quæ absolute longinquæ, vel cum proportione, & contrarietate, revulsoria nuncupantur. Addi etiam potest cum Gal. & communi autorum serie, dictis differentijs cauteriorum, alia accidentalis differentia; videlicet cauteriorum parti affixorum, quæ non vt euacuent, sed vt roborent, & siccent commendantur potius, sed de omnibus Galeni; & Autorum testimonia perhibeamus: euacuatoria 6. aph. com. 45. 2. ad Glauc. cap. 7. 13. meth. cap. 6. in hidropé hypofarca, in suppurationibus, in extrahendoque veneno, a Gal. edocentur. 7. etiam aph. com. 44. idem proponitur; & 6. aph. com. 26. sic Gal. scripsit: *Visione igitur indigent qui plurimum habent pus, vt qui desperent per expuitiones posse expurgari: hoc vero ipsos, & difficultas anhelitus maximè infestat, ex loci angustia, quæ etiam nos cogit vramus.* Idem 6. de morb. vulg. tex 5. in qualibet edocet puris collectione. Roborantia, & exiccantia cauteria, ita cum euacuatorijs solent illaqueari; vt mutuo in præsentem occurrere voluerim. Hæc secundum Hipp. & Gal. sententijs, & comm. 58. & 59. in coxendico dolore locum obtinent. Inter remedia etiam Archigenis, lib. 3. cap. 2 de Egilope relata à Gal. non minoris dignitatis sunt; quare ad deliccandum, & tergendum, os, magnam de cauterijs expectationem fecit. *Aut osse denudato (scripsit) cauterium amoue, & sic squamule discedunt, ac sanantur; quidam diuidentes Angulum osi, qua parte perforatum est, angustum infundibulum admovent, ac plumbum liquefactum infundentes.*

vrunt, atque hoc modo optimè sanant. 5. secund. loc. cap. 9 per fractis, & dolentibus dentibus illa etiam adhiberi voluit; 6. etiam de comp. secund. loc. cap. 2. de crustis in ore, & 1. de simp. med. facult. cap. 18. adfluxum sanguinis Gal. hæc cauteria tentauit; quod etiam 14. met. cap. 13. agens de collumella, & 2. ad Glauco. cap. 9. non renuit.

6 De riuatoria cauteria, per partem particulæ affectæ viciniorem contentum deponunt humorem. Hoc ex cap. 2. lib. 2. ad Glauco. comprehensis Galeni verbis transferemus. *Fluentium igitur adhuc humorum; artis passis, idest retractio, sic enim Hipp. lib. de humoribus nominat; eorum autem qui iam membrum obfederunt, Paroebetensis, & deriuatio medella est.* Medicis ergo cauteria deriuatoria deseruient, vt coniunctam causam, absque inuisione partis affectæ, ratione cuius attractis humoribus, & commota fluxione, maius relinquetur incommodum de populemur. Hanc doctrinam doctissimus Gauassetus, lib. de nat. caut. cap. 13. sequentibus verbis eleganter exposuit, & attrectauit: *Si in spatijs quiescit (de humore loquitur) tunc videndum erit, nunquid pars illa in qua residet, sit nobilis, an ignobilis existat; etenim si ignobilis fuerit, virtus partis affectæ substinebit, vt euacuatio fiat per partem affectam; & sic perforationem admittet, & huius modi cauterium simpliciter euacuans nominatur, vt si pars affecta fuerit nobilis; euacuationem per partem affectam non substinebit. Quare nec perforationem in ea parte admittet, sed per partem proximam.* Nec ipsi ignobili parti affectæ, simultum imbecilla sit, cauteria auxiliabuntur; quare cum Gauasseto cap. 15. citati libri, illa auersari necessum erit: *Aliter mirum non est (Dixit hic Autor) Si inflammationes, & gangrene interdum subsequantur. Quem admodum etiam fieri solet, ubi cauteria sunt in parte affecta.* Auspicabimur propterea partem sanam viciniorem, & robustiorem, quæ cauterij noxam, & labores perpeti possit, vt per deriuationem euacuatiōni contenti humoris insistamus. Hac doctrina nos Galenus instituet, qui lib. de cunctis. scarif. cap. 8. deriuatorium cum euacuatorio remedio sequen-

sequentibus verbis idem significauit: *Deriuatio græcè Paroche-*
teusis, eiusdem generis est, cum euacuatione facta, per particulã,
quæ fluxionem suscipit; fit autem per aliquam vicinarti partium,
 7 Revulsoria cauteria ad oppositas longinquioresque
 partes euocantia, humorem ab effecta parte depellere de-
 bent. Talis namque, revulsionis lex ex Gal. in art. med. 2. de
 nat. hum. 13. meth. cap. 11. 2. ad Glanc. cap. 3 & 5. meth. cap.
 3. esse debet. Ex dictis textibus hæc doctrinam cū de promp-
 fisset Zacutus, lib. vlt. prax. hist. obl. de lethargo, sic cum
 Pauli Autoritate fuit loquutus: *Quantum possit ad partes ex-*
treimas corporis humorem reuellere docuit Paulus lib. 6. cap. 40.
insine, dum sic ait: nam extremarum partium inanitio è longie
quo magis facta efficitur molitur revulsionem in pede. Acces-
si ad lethargicum, qui tribus diebus ita profundè dormiebat, ut
nullis factis tum vniuersalibus, tum topicis auxilijs expergisce-
retur. Hoc ductus oraculo sinapismos in plantis pedum excitauit,
profluere nihil. Tandem duobus cauterijs bene ignitis in ipsis plan-
tis excitatis, ad vitam reuocatus est. In summa revulsio faciend:
est (Scripsit Gal. lib. de cucurbit. Scarif. cap. 19.) Deorsum
quidem, ubi succi ad superiora, sursum ubi ad inferiora vergunt,
 & ubi introrsum ad exteriora; ubi extrorsum ad interiora; Qua-
 re si dextrorsum inclinatur, in sinistram; si sinistrorsum, ad
 dextram revulsio facienda est. Nec minus 4. meth. cap. 6. 13.
 meth. cap. 11. & alijs in locis explanauit.

8 Sed quæ poterant adduci de differentijs cauterij, & na-
 tura illorum dimittamus: suponamus tamen cauteria, de-
 quibus in præfenti contentio est, non deriuatoria, nec re-
 vulsoria, sed euacuatoria esse: ista tamen ab inuisionibus
 abscessuum, quibus antiqui, & recentiores cum Hipp. vtun-
 tur, tum a Fontanellis, fetaceis que, & quolibet alio gene-
 re cauteriorum summè distare sancimus. Imprimis ab inuisioni-
 bus abscessuum illa distinguimus; quia licet istæ cauteria
 sint, ad subitam tamen materiæ euacuationem diriguntur.
 Nostra vero cauteria, ad paulatinam ordinantur. Suade-
 bunt nobis hanc veritatem, adducta Gauasseti diffinitio; ip-

susque Autoris lib. 3 de caut. cap. 3. transcripta hæc verba:
*Constat itaque merito, cauterium à quacunque alia exustione op-
 era medici excitata, quæ subito, & affatim fieri solet separari;
 quæ admodum euenit, cum pars aliqua putrida inuritur, ne sui
 contra suam partem sanam inficiat. Remoueri etiam a fontanellis,
 & fetaceis certissimum est, quia illa parti sanæ affixa nec-
 sario damna promittunt. Nostra vero cauteria solum partem
 affectam prociidunt. Perquiramus hoc in Auitenæ anota-
 tionibus, in quibus super cap. 29. lib. 1. fen. 4. trac. 5. eius
 comentator sic scripsit: *Per cauterizationem, non quod vulgè
 cauteria, & fontanellas vocant, cum sanæ partes agrotantium
 gnatia vruntur, quibus antiquos esse vsos ferè non video; sed affec-
 ta, ipsius particula vstionem intelligit. de hac Hipp. 7. aph. 85.
 quacunque (ait) non sanant medicamenta, ea ferrum sanat, quæ
 ferrum non sanat, ea ignis sanat, quæ ignis non sanat ea incur-
 abilia putare oportet.* Inustiones etiam carnis, vel olsis hu-
 miditatem absumentes, hoc genus cauteriorum incutit;
 quia hæc vt roborantia cauteria, non vt euacuantia præ-
 scribuntur. Constat ergo ex his circa qualem cauterij dif-
 ferentiam, nostra præsens versetur disputatio; nec contra
 aliquas quæ obijci possunt rationes, deficiente solutione,
 quibus in aduersa tela possimus dominari.*

IN PAROXISMO APOPLEXIÆ, quælibet capitis cauteria, rationalem curationem oppugnant.

9 **P**ROBATVR primo; in apoplexiæ paroxismo
 auertendus, & reuellendus humor est, ad in-
 fernas corporis partes; hoc medijs cauterijs
 prærumperetur: ergo à paroxismi apoplectici
 curatione cauteria euertemus. Maior Galeni doctrina ex
 lib. de sang. miss. sustinebitur; qui in hominibus in quibus
 vertigines, morbi comitiales, apoplexiæ, & alij capitis
 affectus

9
affectus timentur; sanguinis missionem, & quæ libet alia
revulsoria remedia cruribus apposita, subleuare testifica-
tur; minorem reuert, qui cauteria capitis, posse dolore,
& calore maiorem causam affectæ subungere parti negabit.
Si dicas, præseruatiuè Gal. in præcitata doctrina fuisse lo-
quutum; idem esse efficiendum curatiuè, cum ipso Gal. &
omnibus Autoribus defendam. Nec nostram accusare doc-
trinam, quia non fuit humor, nisi in paroxysmi principio,
& licet postea adhibeantur cauteria, non sequetur pericu-
lum attractionis; adrem faciet: quia licet in paroxysmo salu-
bri; in quo superans natura dum discutit humores impactos,
fluentibus resistit; id fateamur; tamen in paroxysmo lethali;
cuius nimia vi, natura semper tendit impetius, doctrinam ab-
hominabimur. Sed aquiescamus exemplis, in quibus flue-
re humores, non solum in principio morborum insalubrium,
aumento, & statu; verum in hisce temporibus salubribus of-
tèderit. Primum ergo exemplum in phlegmonis curatione,
nobis dubium adimet ex mente Galeni: in Phlegmone enim
repellentia, non alia ratione in statu salubri acclamantur,
nisi quia supponitur (vt volunt plerique insignes præctici)
fluens humor, necessitate curationis repellendus: ergo, &c.
Sed in febribus putridis, clarius nostra ratio elucescet, quæ-
libet enim febris, per circuitus motus suos agreditur, quos
per repetitam fluxionem habet: isti motus in qualibet febre
(de putridis loquor) vsque ad perfectam declinationem per-
manent: ergo fluxiones etiam. Quid mirum ergo dicamus,
in toto paroxysmo lethalis apoplexiæ, fluentem humorem
partem affectam castigare.

10 Hanc doctrinam omnibus suassit Auicena, qui cap. 19.
can vniuer, de capitis affectibus cum loqueretur, vt hatra-
hens gargarisina præcriberet, ad statum non accidentium;
sed salubrem remedium protraxit. Ecce eius verba: *Et si
agritudo iam peruenirit ad statum, & nos iam processerimus cum
digestione, quæ fit inunctionibus, & emplastris digellivis; euacua-
bimus ex capite propriè per gargarisum.* Gentilis super hanc
textum

textum, non solum de gargarismate intelligendum esse Auicenam, sed de quolibet alio remedio euacuatorio, sequentibus verbis edocet: *Considerandum quod Auicena non fuit contentus dicere ad statum, sed dixit prociesserimus cum digestionem, ut datur intelligere, quod si status, quoad digestionem materiae, non quoad sola accidentia.* Ergo fat alienum erit, in statu paroxysmi lethalis cauteria praemunire. Eadem etiam doctrina secundum Auicenam cap. de apoplexia, nobis occurrere exemplo gargarismatis videtur; ibi enim requiri euacuationem vniuersalem, quae fluxionem faciat cesare, ut à remediis topicis euacuantibus nos abstineamus, his verbis admonet: *Et cum videris alleuiationem fac gargarismata, & starnutationes, & pone ventosas super collum, &c.* Quibus addit Gentilis: *Considera quod homini particulares euacuationes, securius approxi- mantur, cum iam aliqua aparet alleuiatio.* Atqui nulla alleuiatio in paroxysmo apoplexiae, lethalis experitur: ergo adhuc secundum Auicenam in tali paroxysmo, à curatione erunt cauteria abiudicanda. Confirmare vltterius poteris hanc doctrinam, cum Auicena fen. (trac. 1. cap. 19. & Gal. 3. meth. mo- nente causas antecedentes abscindamus, ut conjunctam debellare possimus, & licet concedamus humorem non fluere, nisi in principij tempore; imminet tamen semper, ut extrema cauterij alteratione, iterum fluxionem, & damnificemus. Huius doctrinae 8. meth. cap. 25. nos euidenter commonuit Gal. dum relaxantia medicamenta calida, nisi ablata fluxione pectori apposita, sequentibus verbis corripuit: *Quod si diligentiam ostentare volentes, etiam pectus vna excusfaciant; vel in ipsum, vel etiam in cor, vel in pulmonem, superflua rapiunt.* go. &c. ad dicta Lemosij doctrina non parum faciet, qui lethargo, & Phrenitide declinantibus, in com. lib. 11. meth. cap. 18. capitis cucurbitulas cum Gale- no criminatur: *Illud quoque (scribit) aduertendum, post inte- gram euacuationem, inflammatione iam declinante, cucurbitulas non esse capiti imponendas: nam incipiti adjuncte, imaginationi, & cogitationi nocent; occipitio vero ad motum memoriæ laederent; quoniam*

quoniam, & exhauriunt spiritum vitalem, & animale, & ad locum affectum trahunt humorum noxium.

11 Secundo probatur; quia de munere est medici à parte affecta, per constitutos à natura ductus humores auertere; sed per capitis cauteria tali humoris euacuationi non assentimur: ergo, &c. maior veritatem minimè auersatur, minori cum Gal. doctrina 13. meth. cap. 11. euacuationem fieri debere, per vasa communia demonstrante, quilibet aplaudet. Præterea si Gal. doctrinam, ex 12. meth. cap. 19. probationi adhibeamus, minoris veritatem comprehendemus: docuit ergo, humorem, in cerebro, & eius involucris firmatum, debere pernares, & palatum euacuari. 8. meth. cap. 23. præter has dictas partes consuluit aures. Ergo transmissio cranio, contentos in cerebro humores, quando à natura constituti sunt ductus, euacuari velle; ad curationem rationalem minimè faciet. Vt tamen luce Hippocratica veritas magis compleatur, ex 6. aph. sent. 10. diuini tenis verba adducamus: *Caput dolenti, & vehementer laboranti; pus vel aqua, vel sanguis effluens pernares, aut os, aut aures morbum soluit.* Ecce capitis ductus, quos Gal. super 21. sent. lib. 1. aph. *Quæ ducere oportet, quo maximè vergunt per loca conferentia, eoducere.* Repetit, & contestatur. Hoc enim in loco, cū ad quamlibet euacuationem conferentia loca, secundum motum humoris assignasset, cerebri cum meminisset, ad sequentem doctrinam nos Gal. adhortatur: *Ad hæc palatum, & nares; quando videlicet vel cerebrum expurgamus, vel per profuuium sanguinis fit crisis; & præcipuè si recto tramite, hoc est per directum ad locum patientem. Nam quæ contra sunt profuuium sanguinis mala.* Ergo, &c. Confirmemus hoc Auicennæ auctoritate, qui fen 3. trac. 1. cap. 4. cū ageret de humore ducto ad oculos, per venas lacrimales non euacuari (vt mos erat aliquorum) sed pernares edocuit. Audi Gentilis Auicennæ expositoris, quinque rationes super istum locum, quæ facta paritate calum nostrum de cauterijs, & præsens argumentum verius facient: *Vna est (exarauit Gentilis) quia sunt par-*

Ignobiles appa receptioni materierum; & hoc non habent illa
 uena lacrimales; secunda causa quia omnis materia potest per nares
 educi, quod non contingit sic peruenam: tertia causa est, quia
 rascando vel mordicando nares, ut inde fluat materia, non timetur
 de passione narium, sicut potest timeri de fistulis lacrimalibus, in fe-
 botomia uenarum eius. Vt Auicena 1. can. fen. 4. cap. de fist. bot-
 Quarta causa est quia habet rectitudinem, & societatem sicut habet
 eam lacrimatum uena; quinta causa est quia propter sui aliqua-
 lem distantiam, & amplitudinem habent nares: quod si per agita-
 tionem, vel dolorem aliunde trahatur materia quod ipsa non recur-
 rat in oculos, quod non contingit sic de lacrimalibus. Hec Genti-
 lis cum Auicena, ad causam coniunctam oculorum deponen-
 dam, ne in oculis maius efficiatur damnum promulgat: go
 si ad oculum vacuandum, indagantur ductus correspon-
 dentes, amplae partes, & ignobiles: cur idem non seruabitur
 adpurgandum caput?

12 Probatur 3. licet cauteria minimè capiti per sui opera-
 tionem officerent; quod alicui euacuationi utili subseruiant
 est impossibile in breuitate paroxismi; si hoc non praestant,
 nullius sunt usus, ægroque non possunt subuenire: ergo,
 &c. Maior propositio, nulla probatione secundum premis-
 sa indefinitionibus cauterij eget. Praeterea ipsa sola expe-
 rientia facit euidenter confirmatur; quia vlcuscula parua, sca-
 ra obducta, neque possunt humorem morbi materiam reci-
 pere, neque breuitate paroxismi aliquid posita scara ex-
 purgare. Vterius, licet supponamus cauterium omnino ab-
 solutum; tantilla euacuatio, tum quia natura oppressa nihil
 transmittit, tum quia de paruo vlcere, parua, & fere nulla
 in breui tempore erit expurgatio, ad rem non faciet. Huius
 rei Petrus Valcius Castellus, tom 1. trac. 2. difficult. 3. de ul-
 si veritatem rimatus, sic scripsit: Si ergo morbum faciat acu-
 tum (de distillatione sermo est) Cupientem promptum, velox-
 que remedium; fonticulorum aut setonum usus; tanquam tardè, &
 segniter operantium inutilis est. Si vero chronicum lentique motus
 ac rebellem morbum producat, huiusmodi remedium perutile com-
 peritur

peritur; quip̄ quod talia excrementa, que sensim, & paulatim congeruntur, aut defluunt, sensim quoque, & paulatim euacuat, vel deriuat. Laurentius Scolius hæc cum animaduertisset, licet cauteria non renuat, potius ad præseruationem, quam ad curationem facere stabilit. Senerus etiam, lib. r. part. 1. cap. 6. & cauterium commissuræ coronalis indignatur, & nostræ rationi studet. Ergo si coniuncta capitis causa, vlt cauteriorum in paroxismo apoplexiæ de poni non potest, respuere remedium ita periculosum de iure esse debet. Vincentius Alfarius lib. 7. de epilep. cauteria inij, siue occipitij quam citissimè operari, cum doctissimo Mercato ostendere conatur, quam tamen alienum à ratione sit, legenti Mercatum in consul. med. consult. 3. pro puella septem annorum epileptia laborante constabit. Ibi enim, non breui, sed longo tempore cauteria inij prodesse profitetur omnibus auctor; igitur affirmat triuin; vel quatuor annorum spatio, epileptiam hereditariam detentis cauterijs posse curari.

13 Probatur 4. ad quamlibet euacuationem, morum humoris secundum grauitatem, & leuitatem discuti debere, magis ignorans a regulis hauriet medicæ facultatis; sed considerata sic grauitate, vel leuitate; pituitosi, & crassi humoris, non per superiora, sed per inferiora debent purgari; ergo dictorum humorum euacuatio per superiora medijs cauterijs, euellenda est à regulis artis. Maior licet fati evidens apareat, Galeni autoritate ex 4. aph. sent. 4. & 9. clarior euadet. in his doctrinis bilem propter leuitatem per superiora, melancoliam ob grauitatem per inferiora precepit Hipp. purgari. Hippocrati cum inhesisset Gal. super coment. 9. scribens, sequentia verba nobis obtulit: *Quia autem ad inferiora declinat hic humor propter grauitatem; non sine ratione ipsum iubet, per ventrem inferiorem euacuari; sicuti fluxum bilem per superiorem, & Paulo inferius Gal. Proprium vero alterius humorum, per superiora loca euacuari, quoniam ad hæc vergit; alterius vero per inferiora, quoniam ad ista declinat.* Ergo.

14 Probatur; circa modum cibandi ægros, cum vfu pratico veritate perpenſa: ægris equidem, eo quod impeditis facultatibus a morbo, non poſſint aſſumere alimenta, emplaſtra, & clyſteres nutrientes doctiores practici permittunt. Ex vino tamen clyſteres non conceduntur, quia grauato capite ob vini vaporoſam ſubſtantiam, infirmi magis periclitantur. Zacutus lib. de praxi hiſt. trac. de apoplexia, hanc cum alijs difficultatem eleganter pandit. Hoc poſſito; a paritate argumentum accingamus; minus poterit percuti caput, à vino rationali indicatione menſurato, quam ab infuſo, vel potenciali, vel actuali capiti cauterio; ſed vinum quia incaput vapores aliquos, & humores inducere poteſt; licet vim roborantem, concoquentem, & corrigentem craſſorum humorum obtineat, apoplecticis de negatur: ergo potiori lege maledicendum erit cauterijs capitis. Maior nullam ſibi arrogare poterit difficultatem; hoc tamen non obſtante, veritatem illius in omni cauterij genere tægenus; Imprimis potentialia cauteria, medicamenta ſcilicet vrentia, cauſtica, ſcarotica, & ſeptica, carnem perforantia, capiti apoſſita, potentiore vi, violentiorique motu, à venis in caput rapere poſſe quos liber humores, ipſo vino medicamento alimentoſo, admodum benigno, minimè cauſtico, in partibus longinquis operante; quis niſi ſe ipſum offendat, poterit inſiciari? His addes cauteriorum actualium vim, longè maiorem, vi potentialium ſecundum experientiam eſſe. Illa enim ſecundum Mereatum lib. r. art. med. dereſt. praſid. vfu, & Gal. lib. de ther. ad Piſ. cap. 16. ſuper omni alia facultate medicamentorum, virtutis ſuæ gradum conſtituunt. Sed hæc nullam probationem requirunt, cum ignem ſanate quod medicamentum non ſanat, quotidie experiamur.

15 Probatur 6. vel exequutum cauterium, expedit eſſe ſuperficiale, vel profundum, vt ad os perveniat calvarix: ſuperficarium, ferè nullius eſt momenti; profundum ferè inſicitur eſt incommodi: ergo non eſt in apoplexiæ paroxiſmo agitantandum. Contra ſuperficiale doctiſſimi Fabij Pacij. Sequentem

quentem autofitatem transcribamus: *Id tamen cerè contendo; ad capitis euacuationem, & reuulsionem à partibus infernis, vix ullum habere momentum.* Nec propterea profundi cauterij; bonitatem fuit heluatus Lemosius, igitur illud sequentibus verbis derrisit: *Atque equidem ex pluribus quibus huiusmodi cauterium inustum vidimus; obseruare licuit à tali remedio, adjectum planè neminem, ut medicis nostris iam sepe numero fraudatis; illud exolescere, & posthaberi non immerito videatur.* Amplius minoris veritas, & damnum profundi cauterij doctrina Auicennæ poterit confirmari: docuit ergo lib. 1. fen. 4. doct. 5. cap. 29. cauterium capitis debere fieri superficiale: *Cum ergo fuerit (scripsit) quod sit sicut crancum subtiliter ipsum operare, ita ut cerebrum non ebulliat, neque ipsius caniculi corrugentur.* Neque huius rei rationem prætermisit, igitur illam sequentibus verbis citato in capitè exoluit: *Cauterizator præterea sibi cauere debet ne fortitudo cauterizationis ipsius, ad nervos perueniat, neque ad cordas, neque ad ligamenta.* Ex his colligitur multum periculi, profundum cauterium portendere; superficiale nihil adducere comodi; atque hæc est ratio propter quam, Hipp. 2. de morbis, A reteus, & alij antiqui medici, ad aquam capitis hauriendam, primam caluarie laminam perforabant. Confirmet hæc omnia cons. 24. Balchafaris Brunelij, qui cum cauteriorum errorem fateretur, sic veritatem sua experientia expoliuit: *Cauteria maxima ex parte subcutaneorum defluxionum materiam fructuose vacuare, multipliciter, & sepe expertus sum: excrementa vero cerebri; nunquam salubriter expurgari: deprehendi.*

16 Probatum 7. maioris claritatis gratia d' llemmate facto, & inductione: si cauteria bonum aliquod, vel utilitatem panderent; vel ratione doloris, vel ratione caloris, vel euacuationis id fieret; nullo modo ex dictis videntur conferre: ergo, &c. Maior est certa, minorem distribuitè probemus: imprimis ratione doloris (cum ægrotantibus sensu carentibus aplicentur) nullam posse parere utilitatem, quilibet doctus hortabitur. Neque infutura tempora dolor

virilitatem pariet, quia statim iniusta cutis, butiro, alijsque
 id genus medicamentis dolorem lenientibus, secundum Auicenam,
 Baptistam Siluaticum, & omnes practicos demulceri
 debet. Sed Thagautij lib. 6. inst. chirurg. cap. 11. relata verba
 transcribamus. Oblinit hic autor, dum locum igni circum
 scribit, vicinas partes cerato rosaceo, ovi albumine, cerusa,
 mucilagine Pſilij, ne ignis violentia iusto repat latius, & post
 tea sic scribit: *Crusta non statim detrahenda; sed nutare prius
 oportet, ac veluti maturitate sua excidere, alioqui vis afferti
 solet, profundum vlcus relinquitur, dolor fluxio phlegmone irritan-
 tur: Ratione caloris etiam nihil conferre, præterquam quod
 ex antecedenti Auicena autoritate constat, vltius perseru-
 temur: à parua siquidem, & instantanea inustione, minime
 credendum sensibilem caloris alterationem, quæ materiam
 pituitosam resoluat, & absumat, ad obstrusa cerebri loca
 pervenire. Paulatim propterea, & quantum cautè fieri pos-
 sit, qui nostræ doctrinæ reluctantur inhurant, ne post erro-
 rem; doctissimi Mercati, lib. 2. de puer. morb. & cur. cap.
 11. verba reminiscantur: *Sepe conspeximus ex indextero modo
 operandi fonticulum in occipitio, male mala, & mortem super ve-
 nisse; nam si tentauerit chirurgus, cutem totam ferro vrere, non
 raro conspeximus, con vulsione superveniente, puerum immatu-
 rissimam morte perijisse.* Ratione euacuationis, etiam esse super
 vacanea ostendamus; vt enim euacuent, tempus habile cu-
 rationis paroxifini peccurret; nam cauterium, tunc est abso-
 lutum, quando materia rectè fluit, & purgatur. Hoc tamen
 biduo, vel triduo fieri posse est impossibile, nam hoc tem-
 pus, vt crusta facta per ignem possit medicamentis putre-
 facientibus, & detergentibus separari; adminus desidera-
 tur. Neque sufficiet cruttam euellamus, vt cauterium suum
 effectum præbeat: sed à fortiori vlcus est excavandum; hæc
 Gaualletus trac. de caut. cap. 7. cum edoceret, elegantè
 exarauit: *At crusta de tracta est ne ob id absolutum, & perfectum
 cauterium? Quis est qui hoc dicat? Nonne vlcusculum est excava-
 dum; quod neque cum violentia fieri debet, ne sequatur inflamatio;*
quare*

quare spatio bidui, aut tridui hoc fieri est neceſs. ut tato, & cum
 iucunditate ſuccedat euacuatio. Ergo percurreret tempus habile
 curationis paroxiſmi, intarda cauterij exequutione, vt ratio
 ne euacuacionis aliquid conſequamur. Prætereà vt medio
 cauterio in malum dominemur, coniuncta cerebri morbiſſi-
 ce cauſæ, aliqua ſenſibilis fieri debet vacuatio, quam neque
 vnicus menſis excudet: ergo ſi paroxiſmi acerbitas, talem
 euacuacionem non expectat, melius erit cauteria capitis
 execrari.

17 Probatur ſ. per calorem cauteriorum aſtualem (poſſi-
 to quod calor ad interiora vſque cerebri perveniat) ab hu-
 moribus conſtituentibus apoplexiam grauat magis caput:
 ergo abſurdum erit, non criminari cauteria. Antecedens
 ex eo coſtat quod capite exiſtente pleno, producta à calore
 rarefactio caput magis inuertet. Prætereà attracti, & lique
 facti à calore humores, cauſam affectus de nouo augent, dñi
 in caput irrumpunt: go. &c. Illuſtrari poteſt hoc Trincauelij
 aurotitate, qui cum ageret de catharro in lib. 7. Gal. de
 comp. med. ſecund. loc. ſic ſcripſit: *ſepè medici perveniunt,
 ad cauteria vertici è directo coronalis futura inurenda. In quibus
 tamen debetis admodum eſſe cauti; vt non inurantur, ſi caput ple-
 num eſt, ne vobis id contingat quod contigit amico cuidam noſtro,
 in quodam nobili Polono, qui facto cauterio paulò poſt expiravit.*
 Periculosa eſſe in catharro poſita plenitudinæ docuit Trin-
 cavelius cauteria; ſed quanto magis pernicioſiora, æſtima-
 ri debent in apoplexia, in qua tota cerebri ſubſtantia cum
 ventriculis, inſarcta humoribus nos facit terrere? Propter
 hæc ſine dubio Gal. 2. de art. curat. ad Glau. cap. 2. nullam
 à parte affecta euacuacionem moliebatur, niſi ſedato quoli-
 bet genere fluxionis. Hæc ſunt verba: *Patientibus membris
 extremis, à conigibus euacuatio faciendæ eſt, ſiue retrahere vi-
 lis, ſiue depurare; præterquam vbi paſſo ſit inveterata.* Expecta-
 bat Gal. in præſenti loco fluentis cauſæ ſecuritatem, & vt
 portum teneret, aduerſique fluentis humoris, ad topica præ-
 ſcribenda, vim repelleret, affectum reddi inueteratum ex-

pectabat. Nec interea omnia secura genera medicamentorum
 quæ, & antecedenti, & coniunctæ, causæ contulerent, vt
 constabit ex Galeni doctrina obliuisceretur. Vt tamè agro-
 tantibus ritè medicaremur, sequens doctrina præcitato capi-
 te nobis pro lege iniunxit: *Sic quodlibet patiens membrum sca-
 rificamus, si non amplius humores influant, tunc enim magis irri-
 taueris, ac malum duplicaueris, sed quando iam totum corpus ex-
 purgatum fueris, neque iam aliquid influit; aliquid vero quod pri-
 dem influxerat, in membro contineatur.* Ergo in paroxysmi apo-
 plectici tempore, in quo licet aliquando, humor non fluat,
 cuius libet docti medici hæc fugit cognitio sensum; iustum
 erit deridere cauteria. Costeus lib. de igneis med. præsid.
 cap. 5. licet Ralym, & Auicenam excusat; sequentibus ver-
 bis nostrum attingit casum: *Inter capitii affectus grauissima est
 apoplexia, in qua cum cauterio nullos ex veteribus usos fuisse anim
 aduerterim, mirari subit de atatis nostræ medicis, statim ubique
 ea corripitur nulla alia, ac vix clisteris præmissa euacuatione, ca-
 pitii ostensionem imperantibus, quasi cuius usus est humores ad locum
 qui excuritur, atrahendi ad caput, si illi præsertim dum adhuc in
 motu sunt humores adhibeatur, maiorem copiam excrementorum
 non trahat, & acceleret mortem. Prudentius Ralys, & Auicenas
 post clystere post venæ sectionem, si est à sanguine, vel purgatione
 si ab alijs humoribus, postque præsidia alia ad ostensionem cōsugiant.*
 18 Prob. 9. & §. 9. veritas roboratur amplius: in toto apo-
 plexiæ paroxysmo, fluxio proximè imminens reperitur, quæ
 possit iterum atque iterum dirruere ægotantem; sed vbi
 hæc supponitur proxima dispositio, à cauterijs debeatur
 dissentire; go. & c. Maiorem certissimam esse, quis non tene-
 bit? Quia nullus poterit abnegare, præsentè v. g. paroxif-
 rorum sine causa externa, noua de vincente fluxione, iterum
 augeri, intendique posse. Minor Gal. doctrina ex lib. de
 curandi. rat. per sang. miss. probatur. In hoc loco hist. Eco-
 nomi Romani cum meminisset, quandam in Economo à se-
 curatam oculorum inflammationem immediam adducit, ibi
 testatur in declinatione inflammationis, se colirium aliquate-
 nus

sus mordax, ad detergendas asperitates palpebrarum au-
 sum non fuisse, propter imminentem inflammationem præ-
 scribere: ergo potiori iure, & lege in toto paroxifimo apo-
 plectico, in quo repetita fluxio ingruere potest, cauteria
 data nabimus præsertim in statu. Adducamus nunc galenica
 verba: *Dictum enim sepè à nobis, demonstratumque est, acris
 omnia medicamenta parti cuius adnota, nisi vacuum corpus om-
 ne fuerit, atque adamsin excrementi expers, fluxionem attrahere,
 phlecmoneque efficere.* Sed claritatis maioris gratia, liceat
 sequens proponere filogifinum: minus poterit trahere ad
 affectam partem colirium aliquatenus mordax; cauterio ac-
 tuali magis irritante, & lumine operatiuo; sed terminato
 phlecmone absenteque in totum fluxione, propter imminè-
 ntiam re notam fluxionis, & recidiuæ (nam remota iudicatur
 indeclinatione) Gal. colirium aliquatenus mordax non
 præscribit: ergo in apoplexiæ paroxifimo in quo ù non de-
 tur, saltèm proximè imminet fluxio, potiori iure non erunt
 cauteria concedenda. Ad hæc mihi videtur Galenum respex-
 isse 13. meth. cap. 11. cum scripsit: *à tentata fluxione parte,
 quod redundat veve lere nequaquam ad eam trahere convenit.* Si-
 mile argumentum in alia inflammatione oculorum 13. meth.
 cap. 22. à Gal. relata efformari poterat; *Digerentia medica-
 menta (scripsit) ubi redundantia in toto corpore subest; si par-
 ticulis quibusdam aplicentur, implere potius quam vacuare; ergo
 tum reliquos morbos, tum vero phlecmonas (de quibus agimus)
 scubi curas nullo euaporante auxilio, prius fidenter vteris, quam
 totum corpus euacues.*

19 Sed eandem Galenicam doctrinam in oculi exemplo
 cum Auicena, & Gentili doceamus: quarit enim iste doc-
 tissimus Auicenæ comētator super 3. fen. 3. trac. 1. cap. 4. quo
 tempore leuia resolutiua medicamina, oculis convenient è
 Et sic responderet: *Notandum tamen quod iudicio meo securius est,
 prius totum corpus euacuare, & causa est quia tu non potes esse
 certus, quo illa materia non fiat ad oculum, nisi iudicio aestima-
 gino. Si autem totum corpus sit mundum, dico quod potes euacua-*

re materiam ab oculo. Ex his adhuc leuia resolutiua in partibus ipso capite ignobilioribus, & in affectibus admodum leuibus propter imminentis fluxionis metum, locum non habere fat aperte inferitur. Quid nunc de cauterijs in parte principalissima, in affectu grauiori, grauiorique causa coniuncta, & primatiua, sicut in apoplexia instituemus? Merito igitur antiqui, absque eo quod præcedat sufficiens euacuatio vniuersalis, nullam particularem moliamur euacuationem modulati fuerunt; & si aliquando edoceant euacuationem particularem, absque vniuersali præcedente, fieri posse: quæ secuntur conditiones, ex Avicena, & Gent. super 3. fen. 1. trac. 1. cap. 29. dub. 4. perpende: *Considerandum tamen (docet Gent.) quod quatuor casus sunt in quibus quandoque particularem euacuationem facimus, non præmitendo vniuersalem: primus quoniam materia in capite est pauca; secundus quando membrum mandans, non amplius mandat; tertio quando recipiens ut caput fortificatum est; quarto quando corpus, & alia membra à capite non sunt repleta.* Ecce in capitis affectu ad particularem humoris euacuationem secundum optimam medicandi regulam casus: ostende nunc, verum dictæ conditiones sub nostro de apoplexia militent casu.

20 Prob. 10. & minus generaliter probationem erchamus: autores enim qui cauteria encomijs extollant, discordes inter se pugnant videntur, sic aliqui cauterium in occipitis magis esse periculosum demonstrantes, pro cauterio coronalis futuræ valenter dimicant. Alij, contra cauterium commissuræ coronalis arcum displodentes, inij siue occipitij cauterium esse securissimum comperiunt. Ex his (vt docuit Alfaritius) quamlibet commissuram periculosam esse, cum oppositis autoribus nostræ conclusioni subscribimus. Videat ergo nunc cauteriorum sectatores, inter tam procellosas saelebras, si manum porrigentes à nullo certo beneficio prouocantur, quem portum obtinebunt. Nos vero huic insensæ opinionum dum aduersamur, sequenti argumento in cauteria in occipitis, & occipitis irrumpamus: in primis non debet

21
cauterium super commissuram coronalem excudi (superquã
vt aliquid purgaretur expectabile apponi deberet) quia,
à partibus membranosis, tendonosis, & multa propagine
neruorum insertis, sunt cauteria vitanda; hæc medica regu-
la super commissuram coronalem constituto cauterio, mini-
mè seruaretur: ergo, &c. Maior probatione non æger; illam
tamen apud Auicenam lib. 1. fen. 4. doct. 5. cap. 29. si volue-
ris verissimam inuenies. Præterea illius fundamenta consi-
tabunt, cum de omnium medicorum comuni præcepto sit,
securiores partes (vt ab vlu fontanellarum extorquetur)
indagare. Minor demonstratione anotomica ab omnibus
anotomicis, præterquam quod non poterit non confirmari;
doctissimi Fabij Pacij sequētibus verbis ex lib. 5. meth. cap
13. illustratur: *At vero super istam commissuram vlcus excitari, vā
detur mihi ab omni prorsus ratione alienum, cum ea parte mem-
brana exterior, cum interiori comunicatur, & eam ducere in con-
sensum possit, per dolorem inflammationes, vigilias, conuulsionem;
quod si vlcus propè suturam fiat; aut nullum affert emolumentum;
aut siquid prodesse illud contendas, facta per partem proximam
euacuatione, quantum consensus præstat utilitatis euacuando; tan-
tundem periculi, & amplius affert symptomatis.* His quæ ab Hip-
pp. lib. de vulneribus sincipitis in commoda declarantur, pro
illius imbecillitate non parum faciunt. Nunc in commoda
quæ à quatuor capitibus suadentur exoluamus: primum à
cutis oritur (secundum diuinum senem) tenuitate; secundum
à laxitate surarum; tertium ab olsium tenuitate, quartum
à multa cerebri quantitate, quæ ibi continetur. Propter
has igitur causas dixit Hipp. cerebrum maximè sentire, &
ab externis facillimo negotio lædi: ergo, &c.

21 Undecimo contra cauteria occipitis arguamus: vt hæc
conferrent, ductus assignari deberēt per quos à cerebri sub-
stantia, & illius ventriculis posset natura humores mandare;
istiductus non obseruantur: ergo, &c. Minor quæ probatio-
nem expostulat comuni magistrorum doctrina, & anotomi-
corum experientia probatur: in occipite nullas venarum

propagines inuenies, quæ cum interioribus capitis partibus, per quas possunt humores, & excrementa purgari comunicentur: go, &c. Antecedens constat, quia istæ capitis partes à iugulari externa sanguinem, & alimoniam accipiunt; internis vero cerebri partibus vena iugularis interna sanguinem effundit, quæ nullos ramos per partem posteriorem, sed per anteriorem componit. Præter hæc durissima sunt capitis posterioris ossa, & quod non reperies in parte capitis anteriori, sutura strictissima. Hinc fit quod sanguinis missio ex vena frontis, non vero occipitis secundum doctrinam Archiatrum Ioannem Iacernam Phrenitidi conferre experiamur. Ratio huius rei stat in hoc quod iugularis interna, per futuras, & poros cum externa iugulari comunicetur. Propter hanc rationem secundum Horatij Augenij mentem lib. 3. suarum epist. cap. 2. & lib. 4. cap. ult. fluxiones quæ à capite ad oculos descendunt, parum aut nihil à ceteris, & fontanellis; iuvaminis accipiunt. Atque hæc doctrina lib. 13. meth. cap. 22. stabilita fuit à Gal. ubi enim docet quando fluxio ad caput vergit per venas internas, sectionem externarum arteriarum, & venarum, eo quod ductus non respondeant nihil proficere: go, &c. Sed communis modus euacuandi cerebri excrementa a natura, hanc doctrinam amplius constare faciet. Natura siquidem ventriculorum cerebri, excrementa per pallatum, vel pernares, infundibulumque, ad os cribrosum deponit; non per partem posteriorem capitis, versus quam si humor inclinet, cum principium spinalis medullæ icat, semper est in perniciam. Sed hanc euacuationem præter rationem a medico molitum sequentibus verbis à citato Archiatro lib. 3. de alendi infant. Rat. cap. 39. damnatam perspicere: *Vnde euacuatio per occiput tentata à medico, est præternaturam, & retrahit humorem versus quantum ventriculum, & principium spinalis medullæ ubi repentinas mortes, & paraplexiam causat.* Consideratius se habuit Avicena, qui non in occipite, sed in sinu capite cucurbitulas, & cauteria figebat. Fortasse à Gal. lib. 2. secund.

secund. loc. cap. 1. hanc doctrinam assumpsit. Loquebatur de cauterijs Gal. & de cauterio occipitis sic scripsit: *Neque enim facile exuritur capitis ea pars, quæ occiput, & græcis iniunt appellatur neque etiam citra molestiam refrigerantia substat, propterea quod istis principium spinalis medulla existat, ad stipitis modum in multos ramos diuisse in sexaginta ferme iuxta numerum nervos.* Sed ductus non de relinquamus, igitur quadam Hippocratica doctrina paritate facta nostrum argumentum roboramus; 2. de morb. cum ageret Hipp. de aqua in cerebro sic fuit loquutus: *Incisso capite iuxta sinciput, ad cerebrum usque perforato, & veluti sectionem ac perforationem curato.* Hanc doctrinam Areteus cum ampleteretur, primam sincipitis laminam vt cerebri euocaret humores perforabat. Hoc posito paritati ad hæreamus: magis rara est (vt omnibus constat) in summa distantia ossea sincipitis substantia, ossea occipitis substantia. Præter hæc, etiam cum interioribus venis (vt monstratum est) capitis pars anterior comunem habet, qua caret pars capitis posterior; hoc non obstante vsque ad primam cranij laminam, cum Hippocrate per foramus, quia non suponuntur habiles ductus, vt humores purgentur: go in occipitali osse, duriori, soli diori, minus poroso, comunione venarum cum partibus internis carente, non inuenientur assignabiles ductus. Nunc quæ lib 4. cap. 3. Orisbasius scripsit ad Eunapium memoria tene: *Cauere debet, ne posteriorem partem capitis, quæ ad occiput est at ingas, cum caput ea parte non facile exuratur; cunq; inde ortum ducat spinalis medulla.*

2. Probatur 12. & peculiariter casui nostro argumentum accingamus: Fuit ergo per consensum ventriculi capite astipulante apoplexia commota, quæ vsu cauteriorum minime de mergi poterat, & curari. Difficultatem vt videas, rationi dicemus: apoplexia, quæ fuit per consensum, licet nunc sit per proprium affectum, per durationem paroxysmi videntis, à partibus infernis ad supernas habet causam fluentem; sed quæ habet causam fluentem, abalienat medicum à cau-

terijs: go. &c. Maior certissima ex eo videtur, quod apo-
 plexia, quæ incipit per consensum, si sit per proprium affe-
 ctum, per maiorem est intensiorem causarum producentium;
 vna ex producentibus causis est, quæ à partibus infernis su-
 pernas de populatur: ergo tempore quo intensio paroxiimi
 durabit, causa per consensum afficiens permanebit. Neque
 credibile est, quod à natura in perniciem tendente, per ma-
 iorem affectus radicationem, causa causæ vt amplius non
 grauet, neque molestat à natura diruatur. Neque ab arte
 potuit hæc causa antecedens debellari, quia numquam po-
 tuit ars, non concurrente natura operari. Sed aliquas auto-
 ritates, quæ nostram conclusionem amplius facta paritate
 stabiliant, in præsentem referamus: sit prima doctissimi Vin-
 centij Alfarij, qui lib. 7. de epilep. sic scribit: *Si etenim
 in epilepsia per consensum, ab infernis partibus enata, partes capi-
 tis inurantur, in ipsisque fonticuli fiant, quis adeo stolidus, qui non
 cognoscat, hoc esse materiam epilepsia ad locos effectos in cerebro
 atrahere, & morbum ad augere.* Nec dicas, de epilepsia, quæ
 remanet semper per consensum hanc rem intelligendam esse;
 nam fortasse si doctissimū Fienum lib. 3. de caut. cap. de epi-
 lepsia lethali per consensum vteri perlegisses; hæc sileres.
 Hoc enim in loco, & reuult cauteria, & sanguinem dicitur
 autor semper mitit exped. Paulus Egineta lib. 3. cap. 9.
 de lethargo, rubificantia, & exulcerantia medicamenta in-
 sumnum euexit: illa tamen licet affectus sit per proprium
 affectum dummodo supponatur ab infernis aliquid fluens, de-
 damno accusat. *Tanlem si peccans materia, in cerebro, & ca-
 pite residet, nec aliunde fomentum suscipit; post exactam totius
 corporis purgationem; cuti capitis, exulcerantia miram afferre
 solent utilitatem.* Capiuacius lib. 1. de affec. cap. 27. cum
 egisset de catharro, & tam ad causam calidam, quam ad fri-
 gidam, si capitis cauteria direxisset, idem quod Egineta
 sequentibus verbis obseruauit: *Quoad cauteria sciendum cum
 Accens in catharro frigido vltus esse excitandum in futura corona-
 li; dum scilicet non adest prohibens; vt est materia copiosa, quæ
 Genera*

35

*Generatur ob alicuius membri in becillitatem; ut si v. g. à ventri-
culo imbecillo, materia copiosa feratur in caput, imbecillus ven-
triculo existens, si tunc in futura coronali fieret incisio, totum
corpus per locum affectum euacuaretur, quod est inconveniens. Gal,
similiter in capitis dolore per consensum ventriculi, lib. 2.
de comp. med. secund. loc. causam ventriculi resoluit esse
deponendam, antè topica medicamenta. Ex his satis eviden-
ter confirmatur, quam deformè sit in caulis per consensum,
cauterijs capitis patrocinari. Si maiora desideras, concili-
lium Platerij, qui lib. 1. obs. in epilepsia diurna per con-
sensum facta, propter factum inceruice cauterium, quen-
dam ægrotum perijsse fatetur, memoriæ commenda. go. &c.*

23 His suppositis argumentis, in nullo paroxismo apople-
xiæ, siue per consensum, siue per proprium affectum (à quo-
cumque humore simplici, vel composito apoplexia procedat) occipitis, siue sincipitis cauteria convenire constat.
Nec propterea in alijs affectibus vtilitatem maximè summâ,
ex cauterizatione sequi negabo. Constat equidem Hipp. &
Gal. ad varios affectus, maxima cum vtilitate cauterijs ac-
clamasse. Galenum felici fato, Gornelius Cellus, Alexan-
der tralianus, Plinius secundus, Paulus Egineta, Etius, scri-
bonius largus, Theodorus prixianus, Celius, Aurelianus,
Petrus Alpinus, Iacobus Bontius, Bartholomeus Pasche-
tus, Arculanus, Conciliator, Mercurialis Antonius Agui-
lera, Andreas Sefalpinus, Iostreus Bassanensis, Iulius
Cel. r Claudinus, Petrus Vascus Castellus, Brunerius, An-
tonius Aluarez, Fauentinus, Lupinus, Zacutus, Villarinus,
Marcellus Donatus, Laurentius Scoltius Oribasius, Massa-
rias, cum alijs insequuti fuerunt. Nec Arabes, vt Albucasis,
Rafys, Alzaraius, Mesues, & alij cum Avicena, cauteria
in si nulaerunt. Ab Aegiptijs etiam, & Africanis, nullus
ignorat cauteria multiplici infinitaque experiètia compro-
bati. Occurrunt ergo cauteria innumeris malis vt oisium
cariei, virulentis, & depascentibus vlceribus, catharris,
vomicæ cuilibet, &c. Nihil mirum propterea, à practicis

ita comuniter proponantur. Solum in capite apoplexia ve-
xato, nihil boni præcinere, nostra conclusio est. Si tamen
ab aliquibus, ex adductis autoribus proponantur, id tamen
magis est historica demonstratione, quam prosequuta aliqua
scholastica ratione. Quare omnibus suadere vellem, pericu-
la præmoneant cauteriorum, verba Fabij Pacij recordetur an-
tequam cruciatu illorum ægotantes præmant: *Qui de genere
aliquo re nedij ritè iudicium facere instituunt hijs nulla præstan-
tior offertur ratio* (scripsit Fabius Pacius lib. 5. meth. med.
cap. 13.) *Quam si vitilitates, aut noxas perpendant, quæ ab eo-
dem incorporibus nostris provenire possunt.*

PROPONUNT VR ET PERFRIN- guntur argumenta contraria.

24

Objicies primò 5. meth. cap. 13. Gal. cera-
tum calidissimum exthapsia, absque altera-
tionis, & attractionis humoris metu, capiti
mulieris Romana, quæ ob acrem distillatio-
nem, ad tabem erat paratissima apossuit, & sanitatem fuit
assequutus: go in apoplexiæ paroxismo, absque attractionis,
& alterationis periculo, actualia cauteria, quæ faciliora
potentialibus sunt, ex usu curationis erunt. Quod faciliora
sint, à Conciliatore diff. 208. actuale cauterium potenti-
li præferente, non sine ratione edocetur: potentiale equidem
cauterium, non solum partem ægram lædit (vt docet Con-
ciliator) sed etiam dolore partem afficit sanam. Præterea
cauteria actualia, brevius suam operationem efficiunt, &
præstant. go, &c. Huic argumento, quia nostræ conclusio-
ni, nihil difficultatis importat paritas, facilem si distingua-
mus antecedens, asignabimus solutionem: præscripsit Gal-
Mulleri Romana, ceratum calidissimum exthapsia, vt revul-
sorium fluxionis pulmonem lædentis remedium, est verum;
vt conjunctæ morbi causæ caput afficientis euacuatorium

reme-

remedium, est falsum. Quare consequentiam negamus, quia capiti apoplectico cauterium applicatum, non remedij revulsorij sicut in catharro; sed euacuatorij vices gereret. Est ergo pulmo, secundum resolutiuam methodum curationis catharri, affecta pars, ad quam liberandam debet tendere indicatio, atque ob hanc causam, ceratum ex thapsia, absque vlllo in commodo; vt remedium revulsorium secundum Galeni doctrinam Matronæ Romanæ compctiuit. In apoplexia verò, cum alia pars affecta præter caput, adquam de necessitate totum damnum repat, non detur; sequitur cauterium solum, vt remedium euacuatorium, iuuare posse, quod propter omnes anteaatas rationes debet excludi.

25 Sed à thapsiæ cerato circa quod varia difficultas ex practicis omnibus elicitur, in præsentem non desistamus: Alii enim Gal. errorem non eripiunt, eò quod calidæ capitis intemperiei curationi, remedium calidum attrahens, & exulcerans, quo magis pars affecta flagraret indixisset. Alij quibus illufcescit ratio magis Gal. doctrinam à calumnia vindicant, dum ad humoris euacuationem, & revulsionem non ad illius alterationem Gal. injunxisse ceratum contendunt. Convenient ergo capitis cauteria indistillatione, quia ad nostri corporis principes partes constitutas à natura ad conseruationem indiuidui continuò ruit humor. Cumque persuadeat ratio esse fluxionem intercipiendam, ac fluentem materiam aliò auertendam, nè præcipiti motu cum salcedo illi coniuncta sit, partes ipsas in leuos morbos ducat, revulsoria cerata debent esse in vlu. Alexander tralianus lib. 7. cap. 1. minimè Galeno condonauit errorem sic scribens: *Miror autem quomodo diuinitus Galenus, nullo humectante, & refrigerante medicamento vsus sit; sed contra ab initio siccantibus, & calfacientibus, & sic usam reiectionis, qua oberosum in se, accuratè noverit.* Idem Etius lib. 8. med. cap. 53. Bartholomeus Patcherus lib. 2. de distil. cap. 9. Albucasis lib. 1. meth. med. cap. 1. Paparella lib. 2. de cath. cap. 15. Amatus Lusitanus cent. 3. curat. 6. & alij criminati fuerunt. Horum autorum

ratio precipua est quia cerebri caliditatem augendo cera-
 tum in causa est ut fluxio maior concitetur. Præterea cera-
 ta rejciuntur, quia calefacto magis humore, maior falce-
 do a qua maius immineat malum resultat. Verioris doctrinæ
 auctores dum Galenum excusant non omnes difficultatis me-
 tam attingunt; inter hos doctissimus Lemosius (ut conitabit
 ex sequentibus verbis) excusationem erravit: *Neque ceratū
 ex thapsia contradicit, nam illa prouissio, non ad reuulsionem ex-
 peccit, sed ad temperamentum capiti consiliandum: aut si quid
 reuollere ea ratione voluit Gal. id certè exiguum est, & parui
 momenti.* Hæc Lemosius, qui, quod temperamentum capiti
 intemperie calida correpto Gal. per calidissimi medica-
 menti appositionem conuiliare voluisset, minimè exposuit.
 Doctissimus sanctorius in sua meth. vitand. med. erro. cap.
 7: de nat. reuuls. solutionis Galenicæ fructum eleganter de-
 scripsit. ecce verba: *Gal. rubificantia ex thapsia aplicat supra
 coronali, ut auertat catharrum falsum, ne labatur in pectus; quia
 magis indicat catharrus, ut regeratur, ne fluat ad pulmones; quæ
 salcedo prohibeat thapsiam, ne ab illa calefiat, & intendatur.*
 Ex his aparet Galenum reuulsionis necessitatem neglecta dif-
 stillationis caliditate attendisse: Quia causa materiali media
 euacuatione minorata, caliditate cohiberi necessarium erit.
 26 Nec præter mentem Galeni hæc adducta est excusatio,
 igitur ab illius doctrina veritatem haurimus. Ut tamè nulli
 videatur nos elemosinam Galeno commédare, ab illius doc-
 trina ex 6: de sanit. tuend. cap. 9. veritatem extorqueamus:
*Nec committere, ut quod nonnulli medicorum faciunt (scripuit)
 qui omni capiti medicamentum quod ex thapsia, & sinapi compo-
 nitur aplicant; id ipsi quoque faciunt. Quando si ex calida in tem-
 perie, caput male habet, talia medicamenta necent.* Ecce in
 capitis calida in temperie ab illaque sumpta indicatione,
 quomodo Gal. medicamentorum damnum enucleans, cera-
 tum ex sinapi, & thapsia exheredat: ergo si thapsiam hic
 renuere propter calidam intemperiem experimur, minimè
 credendum ad calidam in temperiem curandam capiti Ro-
 manæ

mana Matronæ ceratum prædictum applicauisse. Ex his aperte mihi sequi videtur reuulsionem, & euacuationem humoris scopos fuisse, ratione quorum de thapsia Gal. de liberant. Præterea si de aliqua difficili re, à suprâ adductis autoribus Gal. accusaretur, facillimum foret fidem autoribus adhibere. Ex hoc tamen nihil difficultatis de promes; quia contraria contrarijs corrigi debere præterquam quod a rûdiori non aberratur, est commune totius methodi curatiuæ Galenicæ præceptum. Hunc nostrum doctrinæ Galenicæ sensum doctissimus Malaris lib. 1. præc. cap. 8. de capitis intemperie cum comprehendisset, sequentibus verbis e e-greter adiudicauit: *Quandoquidem si intemperies, vel materia noxia fuerit calida, docet Gal. persuadet ratio, & confirmat experientia, & cauteria, & omnia calida medicamenta; non solum esse inutilia; sed etiam perniciosâ. Sed vltierius Galeni doctrinam ex 13. meth. cap. 22. vt videamus in calida oculorum intemperie, ceratum ex thapsia à Galeno damnatum, percurramus. Egit citato capite de capitis intemperiebus, quatenus intemperie oculorum causa sunt Gal. & sic scripsit: *Rariores sunt cause que propter calorem acrem oculis fluxionem inemitunt: in quibus haud expedit ijs que ex thapsia, & sinapi sunt medicamentis uti*: Ex his nullus medicus iam dubitare poterit, Galenum à calida intemperie capitis ceratum ex thapsia dispescuisse: ergo superest dicamus in catharro calido, vt remedium reuulsorium tale ceratum fuisse à Gal. institutum. Sed amplius crudelitatem aliquorum convincamus, doctrinam Gentilis, referentes, qui cum Avicena super 3. sen. 1. trac. 1. cap. 29. eandem difficultatem cum atigisset, sic de cerato scripsit: *Dicendû quod in qualibet materia, tã valida, quã frigida potest cõpetere, quia per successuam euacuatione fit materierum diuersio quæcunque sit.**

27 Obijcies 2. errinum quodlibet, siuè apophlecatissima, atrahens, & irritans est medicamentum; hoc absque periculo attractionis in quolibet apoplexiæ paroxismo subuenit rationali curationi: ergo propter metum attractionis à cura

tione paroxifimi apoplectici minimè cauteria subtrahemus.
 Hæc argumêto diſtinguentes maiorem faciliè reſponſum
 explanamus: ſunt attrahentia medicamenta errina, & apo-
 phlecmatiſmata in gradu remiſſo ad cauterium eſt verum, in
 æquali, vel in intenſo eſt falſum; ſed iſta ſub veniunt, diſtin-
 guimus; ſubveniunt vt deriuatorium, & euacuans peruafa
 communia remedium, eſt verum; alterando, & attrahendo,
 ſinè euacuatione in paroxifino vt cauteria, eſt falſum. Con-
 ſequentiam ergo, & paritatem totam negamus, cauteria
 enim capitis, conditionibus errinorum carent; hæc enim
 quod attrahunt euacuant; cauteria vero cum in promptu, non
 poſſint euacuare, quod violenta vi, ſiue actuali, ſiue poten-
 tiali ad partem ducunt, ægram partem cui apponuntur,
 de nouo humoribus explent. Ex his colligitur, errina, ſiue
 apophlecmatiſmata, inter deriuatoria, & euacuatoria re-
 media (quæ remiſſa principali fluxione, à Gal. 5. meth. cap.
 3. 4. meth. cap. 6. 13. meth. cap. 11. ad vſum præcticum com-
 mendantur) ſuum apud rationales medicos locum habere.
 Nec quod poſſunt attrahere dicta medicamenta, à curatione
 nos debet deterrere, quia in illa vi attractiua, virtus purgan-
 di à capite humores reperitur. Nec contra nos hoc argu-
 mentum aliquid ſpetiale difficultati. convincit: quia de mi-
 nori ad maius, de errinis videlicet ad cauteria, probatio-
 nem oſtendit. His prælibatis, iuſto fundamento cauterio-
 rum aplicacionem quilibet vituperabit, ſignanter cum in
 illis adhuc robuſtiores ægroti periclitentur. Agebat Conci-
 liator diff. 208. de actualibus cauterijs, & de illis hæc ſcrip-
 ſit: *Debilis (de ægroto intelligitur) non poterit violentiam
 cauterij tollerare, quin ad interiora perferatur membra: quod eſt
 periculofum valde. & proprie cum membris nobilioribus fuerit
 propinquum.* Sed quantum cauteria execrari debeamus, non
 ſolum ex conciliatore, ſed ex Galeni verbis 2. de cauſ ſimp.
 cap. 5. pollicetur: *Si ſano corpori feruentem aquam ſubito in-
 fundas, aut ignis ſcintillas incutias, ſtatim horrore vexabitur, iam
 ulcerata particula cum cauſticum medicamentum imponitur, pri-*

*minimè quidem horrent, deinde rigent, mox etiam febricitant non
nulli.*

31

38 Objicies 3. licet crassus humor effectivus apoplexiæ, quia natura manifestis ductibus carere conspicitur, incapax purgationis medijs cauterijs videatur; tamen ex Hipp. lib. de aliment. cum totum corpus transpirabile sit, natura pro videri ad quemlibet humorem expellendum, sibi secretas vias parat: ergo cauterij ratione hæc irritata natura, per dictas occultas vias à partibus internis, ad externas poterit in apoplexiæ paroxismo trudere humores. Antecedens Galeni doctrina, ex 13. meth. cap. 13. & anatomica experientia, sat commendatur: equidem lien ad vesicam, non raro per vrinarios meatus expurgat, licet manifestis vijs carere videatur; similiter extravaasatum pus, in thoracis cavitate, sibi per occultas vias aliquando exitum parat: go. &c. Huc argumento negantes consequentiam, & concedentes antecedens respondemus: quia licet natura, vias occultas per quas possit ducere humores contineat, eo quod totum corpus sit transpirabile; id breuitate paroxismi apoplectici, sicut ab occasione expulatur fieri non potest. Per insensibiles enim meatus capitis exiguo temporis intervallo, ut paroxismi, aliquam euacuationem sufficientem, itaque subitam fieri posse, quis tenebit esse possibile? His addimus, occultas illas vias per quas natura prauos humores, aliquando deponere valuit, vias liberas esse, & sine impedimento, quo occultæ viæ capitis impediende cranio carere non possunt. Præterea dictæ viæ ut prona sit euacuatio, motui humoris debent necessario correspondere, hoc tamen si velimus non inficiari, ex eo absurdum est, quod in apoplexiæ paroxismo, si humorem crassum per superiora abrumpere conemur, à nulla arte possit comparari. His adde, absurdum esse credere, humorem qui ab ipsa natura per vias correspondentes, à medico inuata, non potest deponi; per vias occultas, per poros scilicet irreperere posse. Vtremus has occultas vias, quando per palatum, & nares potest, & de-

bet secundum Gal. & Hipp. mentem expelli humor inda-
 gare, alienum a curationis scopo admodum est; quia in nos-
 tra medendi arte, non parui momenti proportio locorum
 ad euacuationem est. Quotidiè enim in inquirendo, à qua par-
 te euacuandum sit, tota difficultas versatur. Hoc si non fie-
 ret, si non obseruaretur, posse medicum siue per occultas,
 siue per manifestas vias, indiscriminatim elicere humores
 sequeretur. Hinc medicinae leges vel reuellendi, & non eua-
 cuandi, vel euacuandi, & non deriuandi, vel deriuandi, &
 non reuellendi, irritæ essent. Propter has ergo rationes
 consequentiam obiectionis negamus, & cum Gal. verbis ex
 lib. 3. de morb. bulg. com. 2. text. 29. nostram doctrinam
 exoluimus: *Alias enim, & hæc didicisti, ducenda planè esse quo
 uergunt, per convenientes regiones, auertenda autem, atque re-
 uellenda qua non benè uergunt.* Sed hanc viarum proportione,
 à medicis cum Galeno obseruandam, cum Rondoletio exor-
 nemus: ecce in sua praxi medica capite de apoplexia,
 curationem cum exarasset illius uerba: *Cucurbitula cum sca-
 rificatione affigantur, non humeris, dorso; aut Fontanella ut A-
 rabes uolunt; quia ibi nulla uena est insignis, qua in cerebrum
 proueniat; sed prope iugulares, & quasi submento: si possint ad-
 herere. Hæc enim topica remedia, sic adhibenda sunt, ut per ue-
 nas fiant, non solum in partem ægram pertinentes; sed, & in pro-
 ximas, & amplas, si partis constitutio id permittat.* Hanc sen-
 tentiam etiam Bartholomeus Perdulcis, cum alijs iuniori-
 bus fuit cap. de apoplexia sequutus: ergo corpus esse trans-
 pirabile, finxisse non ualet, si proportio locorum, & viarum
 ad debitè operandum est obseruanda. Attendat ergo medi-
 cus cauteria capitis, & damna partium principum minimè
 aspernetur, quæ facillimo negotio combustæ carpuntur a-
 malo. Cauteria molitus fuit Auicena lib. 4. fen. 3. trac. 2.
 cap. 26. de cancro; sed quando cancer partem aliquam prin-
 cipem offendit Auicenam audi: *Et fortasse erit in cauterio ti-
 mor magnus, & illud erit, quando fuerit cancer prope membra
 principalia, & nobilia.*

29. **Objicies 4.** crassus humor incerebri substantia, & ventriculis illius firmatus, apoplexiam constituens, media cauteriorum operatione resoluitur, excicatur, & euacuatur: ergo in apoplectici paroxisimi curatione actualia cauteria ægrotis minimè incommodabunt. Antecedēs paritate sumpta ab Hipp. doctrina, probatione facili confirmatur: docuit non satis venerandus senex, 1. de fract. cap. 4. quoties humor ob mucosam materiam, ab articulo contentam luxatur, cutem braquij adurendam esse, vt pituita resoluaatur, excicetur, & euacuetur, & pars ferri igniti appositione roboretur. 6. etiam aph. sent. vlt. propter eosdem fines, in coxendico dolore, vbi femur ob mucorem ab articulo excidit, cutem etiam aduri consulauit. Hoc posito apertè videntur, & ratio, & probatio constare: per cauteriorum virtutem, à dictis affectis partibus, debitè, & ritè contenti humores euacuantur: ergo in apoplectico paroxismo, eundem effectum appolita capiti cauteria prestabunt. Huic argumento concedentes antecedens, & negantes consequentiam satisficiemus: quia (vt ex superioribus aparet) dispositio ad euacuandum media cauteriorum virtute, humores in cerebro firmatos, sicut in alijs partibus carnosis impedimento carentibus, concedi non debet. Respondebitur etiam hoc pacto distinguendo antecedens: euacuatur humor medio cauterio contentus in parte, in aliqua quantitate sensibili, breuitate temporis ad perperacutum, & peracutum morbū requisita, nego antecedens; euacuatur tarde, pigrè, & letè, inquantitate admodum exigua, concedo antecedens. Negabimus igitur consequentiam, quia cum apoplexia paroxisimus, exactè acutissimum morbum constituat, propter celerem motum, & nimiam acutiem, & acerrimatem, tardā operationem cauteriorum minimè expectat. Præterea calu quo cauteria optimam, & competentem euacuationem efficere valerent, cum viarum proportio, & recitudo seruari non possit, liquato, & attracto à toto corpore humore, factaque maiori capitis sarcina, maius in commodum comparatur

paratur. Ex alijs vero partibus, ubi proportio viarum ad vnguem feruatur (et in casibus adductis ab Hipp.) cum nullo detur impedimentum ad detrahendum humorem, licet tardè sit, & lentè pellitur humor.

30 Miramur tamen dentur Doctores, qui ad breuissimum morbi motum, remedium operationis tardissimæ conducere stabiliant, & quâdò vix possunt remedia ab autoribus probata (licet longum sit tempus paroxysmi apoplectici) habere delectum, opem à cauterijs implorare, est velle probatis medicamentis remedium periculosum anteferre; & sine occasione, & dispositione naturæ, morbi victoriam assequi. Nunc tamen vt concilium novum cauteriorum patroni inire possint, Ioannis Costei primarij bononiensis medicinæ professoris transcribemus doctrinam, & regulam qua Gal. Hipp. Oribatius, Etius, & antiqui utebantur, circa de liberationem cauteriorum adducemus. Sic lib. de igneis med. præsid. cap. xi. citatus autor scripsit. *Illud autem primum apertissimum est, horum scriptorum nullum hoc præsidij genus, nisi in difficilissimis affectibus proponere. Neque prius probare, quam sint diuturni: sic Hipp. non prius multas illas crustas capitis inurit; quam ubi intra quadraginta dies, sedatum non fuerit malum, neque inurit, nisi post alia multa magna præsidia, nempe post veratrum, id est vomitum insigni medicamento excitatum, & post remedium quod deorsum purget. Ex his nullum versarum medicum tali remedio acquiescere debere, sat consonum videtur. Neque alienum à ratione erit, novam cum Gal. de tarda operatione cauteriorum adducere demonstrationem. Illam ex lib. de ther. ad Pis. cap. 16. in quo de curat. mors. Canis rabidi pertractatur à Gal. à forma cauteriorum contendemus. Curabitque vulnus (loquitur Gal. de medico) *Illud, non simpliciter sicut methodici solent, sed ipsum maius illico faciet carnem circumquaque auferens, & ad rotunditatem redigens, nè faciliè cicatricem obducas, sed apertum longo tempore perseneret. Ex his sine duratione cauteriorum, & temporis longitudine, nullam euacuationem esse à medico expectandam, non superuacaneè colligatur**

gitur. Hoc ostendit cauterij rotunda figura, quæ ad durationem omnia refert, & duratione facti cauterij post paroxysmum confirmatur; nullus enim docuit cauteria exequuta, pro curatione apoplexiæ, finito paroxismo abolere: quod si euacuatio morbificæ materiæ adepta esset, fieri deberet. Nec velle per actualem vim, capitis roboratiuam, cauteria magnificere, consonum esse potest; quippe superfluum humorem à ferro candente, statim exiccari, risu dignum existimo. Quæ enim ratione parbus ignis ictus, tam breui temporis spatio, cerebri humores resoluat, & absumat, minimè concipi potest. Nunc verba comitis Palatini Ioannis Baptistæ Cortesij de cad. 9. miscell. med. hæc concludent: *Dato autem, quod ex alicuius membri adustione, & mucor, & superfluus humor exiccetur; quis quæso, tam ferus, & immanis erit, qui adeò frequenter velit quempiam adurere; usque dum partis exiccatio consequatur.*

31 Objicies 5. licet effectivus humor apoplexiæ, sua natura sit admodum grauis, dum ab illo immediatè caput conficitur; quod purgetur virtute cauteriorum, illius grauitas non poterit interpellare: ergo &c. Antecedens probatur; grauitas humoris eripere non potuit vt ab infernis, ad superna quam primum humor duceretur: ergo hoc crasso humore semel capite facto, meliori ratione, grauitate non obstante, poterit medio medicamento à natura trudi; & purgari. Et licet cauterium occipitis (quæ ductibus occiput caret) hunc humorem, non possit à cerebro extorquere; si occipitis cauterium medio illius osse poroso, valebit præsertim si prima illius lamina auferatur, caput exonerare. Sed huius rei Iulij cesaris Claudini doctrina, qui cauterium suturæ coronalis lib. consult. consult. 120. summis laudibus extulit, veritatem expoliet. *Acc. dicit quod os in vertice (scribit iste autor) ob suturam coronalem est peruium, ac ubique porosum detractaque prima lamina squamma, occasione ibidem infixi cauterij; scio medietulum adeo molle existere, ut maxime tactui cadat quod ego sepius ipso stylo dum cauteria tractabantur obseruavi.*

Ab isto etiam autore argumenti huius fundamentum amplius edocetur, & comprobatur, igitur ad purgationem cauterij, nihil humoris grauitatem impedire testatur; quia dum quilibet humor à natura expellitur, suppeditat natura contra grauitatem: *Neque ab huius usu me mouet illud (edocet) quod materia grauis, & crassa haud possit ascendere, & dato quod id fieret, egredi per os durum non valeat; quoniam materia grauis, sursum etiam mouetur expulsa à natura ad locum imbecillum per cauterium redditum.* Ergo &c. Hæc est objectionis difficultas, qua distinguentes antecedens facillimum erit nos exonerare: non poterit grauitas quod aliquid euacuetur modo violento impedire est verum, non poterit purgationem illius impedire maiori ex parte est falsum: ergo poterit à cauterijs humor euacuari, etiam distinguimus: poterit secundum quid deponi, est verum, poterit perfectè, debite, & absolutè est falsum. Præterea usum cauterij sincipitis, de quo probat hoc argumentum negamus: quia non solum quod aliqua portio humoris expellatur medio cauterio sufficere debet, sed quod id sine periculo attractionis, sine cerebri damno, cum correspondentia ad causam, & motum naturalem naturæ (vt in qualibet alia optima contingit euacuatione) fiat requiretur. Ad illud quod nequè grauitant, nequè leuitant humores, quia sursum grauiiores, & terrestriores efferi experimur, facile responsum amplectimur: quia id secundum morbi violentum, & in ordinatum motum experimur contingere, qui imitabilis esse non debet. Solum enim motus naturalis humorum, secundum quem ad superna tenues, ad inferna crassi exolvuntur humores, expectari à medico debet. Vterius licet grauitas non impediatur, oppugnetquè cauterij operationem, secunda humoris qualitas, crassities scilicet, euacuationem refellet: ergo præstantius erit medico (si calus cauteria desiderat) securiora loca eligere, & cauteria sincipitis relegare. Nec huic rationi se opponet, quidè munere medici esse, meliorem humoris motum imitari, graues per inferna, tenues per superna purgando.

(vt obseruatur in omnibus criticis mutationibus) non ignorat. Deinde his temporibus, à medicis ferè improbari debent artifices omnes; quia propter abolutum vsum, artifices qui non aberrant, a recto formandi cauteria modo, desiderantur. Quanta autem damna, detrimentaue, errauisse cauteria pariat, sat ab autoribus impetramus; sat ab Hipp. 5. epid. in Eupolemi hist. qui ob malè formatum cauterium obiit, eleganti doctrina exprimitur. Harum rerum Cortesius Mirandulanus, decad. 9. epit. 9. cum meminisset, dixit sat alienum fore, quando securæ, & correspondentes proponuntur ad cauteria partes, partibus periculosis cauteria infigere. Parti enim affectæ medicus cauteria permitit; quando locis expurgantibus æget, & alia medicamenta deficiunt. *Tum vero urget necessitas ut abhibeatur cauterium cum pars affecta, caret locis expurgantibus; & superuacanea materia, non potuerit per alia medicamenta radicatus euelli.* Cortesius loco citato.

32 Objicies 6. licet à curatione apoplectici paroxysmi, propter tardam operationem, cauteria sint abjudicanda; tamen infuturum roborant, exiccant, & euacuant, ægrumque a repetitione apoplectica continent: ergo licet praesenti paroxysmo v. g. non consulant, praeseruativè fouebunt ægrotum. Antecedens sat evidenter veritati cedit, quia cauteria exiccare euacuare, & roborare, de comuni est omnium voto, & consensu. Præterea si potentialibus cauterijs, nullus exiccare, & roborare interdicit; actuali cauterio melius istæ virtutes concedentur: ergo saltem pro praeseruatione futuri paroxysmi, cauterijs capitis consulendum. Nec dicas parua cauteriorum euacuatione, morbi futuri materialem causam, parum, aut nihil infectari: igitur cerebrum ad crudorum succorum generationem, & copiam, quotidiana (licet pauca) euacuatione, sufficienter inhibetur, vt in fontanellis, & setaceis experitur. Antecedentis doctrina præterquam quod veritate insignitur, doctrina, & experientia Ludouici Mercati lib. 2. de puer. morb. cap 5. celi lib.

3. de remed. cap. 23. Avicennæ fen. 1. lib. 2. trac. 3. cap. 17. confirmatur: go &c. Huic argumento respondemus, concedentes, cauteria optimè appolita mirificè cuilibet parti calfaciendo, exiccando, & paulatim euacuando subvenire; cæterum si apud nos cauteriorum causa cadit, non est quia illa calfacere, exiccare, & euacuare non dicimus; sed quia nobiliori affixa parti, capiti videlicet, sine dispositione, & necessitate (vt expræcitatis doctrinis aparet) nihil commodi præstare valebunt, multadamna parient. Hæc veritatem cum Bartholomei Pascheti verbis, qui hanc non prætermisit difficultatem, certioram faciemus: *Ego certè (scripsit) malem cauteria excitari in braquijs, per quas partes uti per declines canales, humores à cerebro contenti euacuari facilius, & ab internis ad externas partes commodius deflecti possunt.* Ecce hic autor, cum cauteriorum capitis damna præuidisset, si cauteria capitis recusat; comodo cauteria braquiorum ad depellendum à capite humorem non refellit.

33 Eandem hanc sententiam Amatus Lusitanus cent. 2. curat 1. cum amplexus fuisset, si morbus dat inducias, ad quamlibet intemperiam, siuè calidam, siuè frigidam à capite auertendam, cauteria braquiorum prodesse affirmat. Nec mirandum cauteria braquiorum abducere, siuè elicere humores ex capite; quando cauteria pedum in lethargicis, idè præstare valènt. In maniacicis etiam hoc accidere Alfarius lib. 7. de curat. Sequentibus verbis edocuit: *Ego scio quandoque hic patauij, nobilissimum juvenem furem, post infinita remedia; tandem redijisse ad mentem vsu quatuor cauteriorum, in braquijs, & in cruribus.* Cruciatur ergo, & periclitatur ager, quia si credimus Etio vsque ad primam cranij laminam perforamus; si Auicennæ misericordem sententiam ex lib. 4. fen. 3. trac. 3. cap. 3. amplectamur, vsque ad os ad minus perforamus: *Et quando cauterizatur super caput (scripsit) oportet ut perveniat vsque ad os:* go alienum à ratione est, ægrotum periclitantem per applicationem crudelis remedij, in maiore relinquere calamitate. In cauterijs occipitis, idem periculum

Iam si tota cutis perforetur inueniemus : hinc Ludouicus Mercatus ad vrendum occiput, chirurgi peritissimi manum desiderabat : Nam si chirurgus (inquit) totam perforet cutem, certum est convulsiones, dolores, & alia grauissima mala euenire. Sed fundamentum doctissimi mercati, Antonius Alvarez complutensis part. 1. epist. & conf. med. hisce elegantibus verbis cum ageret de parap'esia expressit : *Quod si cauteria capiti, & primis colli vertebrae, atque ultimis lumborum applicarentur, cum omnes ista partes stupore sint affecta, proculdubio maior contractio humorum fieret, ad lasas partes, quam eorundem euacuatio; sicque ex non integra paralyti integram conficerent, & eam quam intendimus deriuatio, aut reuulsio non sequeretur.* Ergo si quod securius in remedijs censemus, in velligandam eit, quis negabit fore semper securius, a partibus fluxione tentatis declinare? Contra Themisonem Asclepiadis erroribus imbutum quae scripsit Aurelianus expose: *Vtitur etiam localibus adiutorijs, & quidem multis, pro morbi differentia, & quibusdam falsissimis; ut est sub occipitio accurata diuisura quam chiastum vocari diximus; & ferro circumscripta in capite cutis v'stura; & breematis perforatione.* In summa quam periculosa cauteria capitis tam potentialia, quam actualia sint, & quam ad partem fluxione tentatam concitent portionem humoris, exemplo eorundem cauteriorum alibi appositorum quilibet contuebitur. Atende in casibus de Letharo, & Mania supra relatis, cauteria cruribus affixa, aegrotos ab his magnis morbis aliquando liberaffe. Hoc non alia ratione contingit; nisi quia violenta qua pollent vi, in capite existentes humores, tenues, & crassos in crura deducunt. Hoc idem omnes nostri medici practici; qui in crura cauteria, vt malignos ex corde in febribus malignis humores pellant iaculantur, accuratè reminiscuntur: ergo si cauteriorum alteratio, ita celebris, & operatiua eit, vt partem rebus, & sanam cui affiguntur, humoribus a toto corpore attractis replere possint; meliori iure partem aegrotam fluxione tentatam, ratione morbi debilem, illeceis a toto cor-

porè humoribus offendent. Nihil mirum ergo contra cau-
 terizatores sequentia verba noster Alexander scripſiſſet:
*Hec ſiquis accuratè conſeruet, & tuetur, non opus habet alio
 quodam auxilio, & maxime illis quæ dolorem movent, periculum-
 que vita inferunt non nunquam arteria ſeſione, capitis uſione, &
 alijs, quæ cruciatum, & ſuplicium magis, quam curationem com-
 eſſiant.*

RESOLVITVR CONCLVSIO.

34. **E**X dictis, ſententiam quam in animum induxi-
 mus, veriſſimam, & ſecuriſſimã eſſe, corda-
 ti omnes medici comperiet. Quatè ſincipitis,
 vel occipitis cauteria, tam in apoplexia per
 proprium affectum, quam per conſenſum, tam præſeruativè,
 quam curativè eſſe dedocenda, pro veriſſima conſuſione
 tenemus. Probetur hoc primo in paroxiſmo apoplectico:
 tunc in curatione apoplectici paroxiſmi eſſent cauteria col-
 laudanda, quando ſine periculo capiti poſſent expedire,
 & in breuitate paroxiſmi, cauſam coniunctam ventriculos
 cerebri imbuentem deponere valerent; ſed nec poſſunt vt
 probatum eſt § 9. & 17. ſine periculo applicari, nec in paroxiſ-
 ni breuitate, vt conſtat ex §. 12. & 16. humoribus morbifi-
 cis caput poſſunt exonerare: ergo ſunt à curatione abducen-
 da. Nequè ſecundum optimæ facultatis regulas præſeruativè
 ad curationem facient, quia dum ſecuriores partes, quibus
 affigi poſſunt cauteria præſeruativa, ſincipite, vel occipite,
 à medico ſunt aſignabiles; ſemper ſunt eligendæ; ſed bra-
 quia partes ſecuriores conſtituunt, per quas à capite deſlec-
 tere poſſunt humores: ergo non in ſincipite, vel occipite,
 ſed in braquis cauteria præſeruativa concedemus. Maior
 eſt evidens; minor patet perſe, quia eſſe braquia ſecuriores
 partes ſincipite vel occipite, qui medicinam ignorat diffi-
 teri poterit. His adde braquiorum cauteria, non ſolum ca-
 pitis

pitic coniuñctam causam deponere; sed & antecedentem de nouo fluentem (cum nullum corpus perfectè purum sit) quaratione securius eripiunt à capite damnun:go etiam pro præseruatione fluentis causæ, braquiorum cauteria securiora sunt. In apoplexia quæ à solo sanguine procedit; vel à sanguine mixto (vt in casu nostro) maius damnun cauteria parare exeo constat, quod post cauterij operationem, & calfactionem, maior dispositio ad inflammationem supponatur. Depellamus ergo cauteriorum capitis vsum, à qualibet optima medendi regula, pro patronis habentes, varios quos consulimus autores. Nec à doctrina Galenica, & Hippocratica defæcimus; veritati enim Hippocraticæ meliorem, & securiorem partem eligentes, suum locum tribuimus. Ad hæc fautores nostros autores longè in prosperum prospicientes contestamur; hi fuere: Montanus consul. 36. 17. 174. Hieronimus Mercurialis, tom. 3. consult. Fabius Pacius. 5. meth. cap. 13. & in apendice ad lib. 7. Ludovicus Septalius, lib. 6. animad. n. 107. (hic se quadraginta annis, quibus medicinam Mediolani fæcit, nullum vidisse, qui ex hac cauterij applicatione, quid cõmodi perceperit testatur. Aliquos vero excitata inflammatione, in pericula coniectos fuisse refert. Zechius in cons. med. cons. 75. hic similiter cons. 10. Pistorem quendam Bononiæ ab inuisione super futurâ facta in phrenitidem eadem die incidisse asseuerat. Cardanus lib. de malo medend. vsu, Ioannes Baprista Siluaticus lib. contr. med. contr. 85. Hieronimus Ximenes lib. 4. inst. med. senertus, & alij.

35 Cædant ergo de suo iure, sincipitis, & occipitis perforatores, cum ex cauteriorum istorum vsu, simplici experientiz credentes, fructum nullum colligere possint. Cædant etiam quas Fabricius ab aqua pendente, cum cauteria sincipitis commendasset, cap. de font. intut. coronali adduxit quinque condiciones: prætulit iste autor sincipitis cauteria; cauterijs occipitis, obquinque rationes: prima quia in sincipite facilius fonticuli detinentur 2. quia capitis ante-

rior pars humidior est; 3. quia locus est minus durus, & ad humorum exhalationem aprior; 4. qui laxior, & rarior; 5. quia ibi vena considerato foraminulo per caluariam inculpto, per futuras penetrans reperitur; sed omnes istae conditiones, praemissis nostrorum autoritatibus cum pericula non discutiant, euerti debent. Doctissimus Heurnius lib. 1. meth. ad praxim, omnia cum ani naduertisset praestantioribus conditionibus nos erudiuit. Meditemur nunc condiciones sequentes: prima an sit cauterio vtendum; 2. quo tempore; 3. quomodo sit comburendum; 4. quo tempore in parte cauterium permanens esse debet; has illis excellimus; & quia nos de periculo, antè cœquuta cauteria monent, in maiorem veritatem euehimus. Previdemus in his pericula, & licet ignis crudellissimus sit, dictis Heurnij regulis marmoribus dignis, tutissimus redditur. Ignis enim forma agit simplicissima, alienae qualitatis experte, & si calorem, & empirreuma relinquat, facili methodo corrigitur. Fallopius ad praesentem casum tract. de caut. cap. 13. ecce quam eleganter se expressit: *Caveat autem quicumque cauterio uti voluerit, ne ipsum loco nobiliori vicinum apponat: quod si capiti imponet, caueat saltem omnes commissuras: quandoquidem locus ille commissurarum periculosus est, obneruea filamenta, quae ab ipsa dura produuntur meninge.*

36 Ex his quanta absurda ex apositione cauterij, possint aegrotantibus aduersari; sat manifestè capimus. Talis enim calamitas, tantaque damna ex applicatione cuiuslibet violenti, & non desiderati à natura remedij experiuntur, vt licet aegrotos in extrema naui, & discriminè conspiciamus, quilibet tempestate iactentur cauteria non sint æstimanda. Hanc rem doctrinae hoc nostro auro venerandi magistri, meritissimi Archiatri D. Doct. D. Gasparis Brauo de Sobremonte, firmiter annectamus. part. enim 6. resol. med. consult. 4. *De primo epilepsia insultu, qui vitam sustulit serenissimi infantis Ferdnandi §. 3. de curandi via.* Praclarum exemplum sequentibus verbis, vt in cauteria omnem vim conferamus omni-

blis traddit: *Non pervenimus (occidit) ad cranij perforationem; quam consulit Celsus in occipitio, usque ad secundam laminam, ne infamaretur remedium inusitatum in tanto principe; etiam stringere videbatur periculum; ut temeritas cogeret, quod ratio non iuvabat.* Ergo si capitis cauteria secundum optimam curationem, non possunt laborantibus optulari, praestantius, & laudabilius solum erit, ab illis declinare. Nunc licet cum tanti Maecenatis voto, portum iam tenere mihi videatur; quia temeritas non potest cogere; quae à ratione minimè iuvantur: Gal. doctrinam, ex lib. de ther. ad Pis. cap. 17. eandem rem discutientem ex hibeamus: in hoc loco in quo Gal. pueris theriacam interdicit, cuiusdam patris temeritatem refert, qui filium suum aegrotantem, ex vita cadere cū credidisset Galenum ad applicationem, & intempestivum usum theriacae, cum pueri intempestiva morte compulsi. En Galeni verba: *Cum autem quidam ipsius curam haberet; qui patrem sequeri esse dicebat, & potius imperiosa quadam iubendi licentia uteretur, quam profectū à ratione consilij audiret, temerario quodam impetu, & violento, coegit me theriacam puero exhibere: quam ille acceptam concoquere non valuit; eoquod potentior esset virtus ipsius. Solvit itaque uniuersum pueri habitum: aliquidque fluere cum facisset, ob datam praeter rationem antidotum subsequente nocte perijt.*

37. Meherclè igitur Hipp. lib. de med. vt medicamenta secundum rationem gubernentur, celeritatem, & tarditatem commendavit: *At vero in his qua manus operam postulant (dixit) & sectione aut essione efficitur, celeritas, ac tarditas ex aequo commendantur cum utraque opus sit.* Nec quia hae obitare possunt; experientiam magistrorum praecipua, aliquando superare, & veriorem regulam esse post habebimus; id tamen continget, quando causa experientiae ab omnibus ignoratur, & quando ad cognitionem affectus per regulas artis, minimè pervenimus. Quam tamen rarissimum, & peregrinum sit hoc, in nostra medicandi arte, à nullo perito recorderur. Curamus per indicationes, Galeno, & Hipp.

Magistris per quas meliori manu, quam experientia, quam
libet curationem perficimus. Præterea si aliquid occultum
sefe offerat (cum nihil his temporibus sub sole novum desi-
deretur) id non fugit infinita antiquorum, & recentiorum
doctorum consilia, & observationes. Quare est credibilis
hæc ratio autem, doctos potius, non ignaros aucupari. Sed
si expectemus doctissimi Sanctorii verba, qui lib. II. de vi-
tand. med. error cap. 2. de perquirendis indicationibus,
rationem contra experientiam extulit; noster discursus ex-
pers muneri inuenietur. Sic scripsit: *Omnia igitur vel com-
parantur experientia, vel discursu; sed indicatio non comparatur
experientia: ergo discursu, eò magis cum non detur alius modus
sciendi occulta.* Hæc sanctorius summo fundamêto eloquutus;
quæ ad indicationem rationalem rei iuuantis, & nocentis com-
prehensione ægemus: comprehensio autem hæc, non tam longa
experientia, quam longa ratione insignitur. Longissima erat ex-
perientia Empiricorum; illam tamen Galenus lib. de ther. ad
Pif. cap. 16. & multis alijs in locis, rationali sectæ sequentibus
verbis suppõdit: *At bene fortunatus ille qui rationalem medicum
acceserit; nequẽ tam malis symptomatis facile capietur; nequẽ ob artem
rationalis medici mortem incurrit.* Sed ab experientia medicorum
cauterizantium in præseati non aberremus, igitur illa nobis de
multis sanæ salutis euentibus testimonia præbebit: de cauterio futu-
ræ coronalis damnis, aliquas superius rimati sumus historias; de
damno vero cauterij occipitalis, sequentes nõ respuas: ecce filius,
primogenitus Marquionis de Xabalquinto; filius comitis de Mel-
gar, filius Admiratûs Castellæ, filius ducis Alburquerque, filius Mar-
quionis de Laguna, filius cuiusdam Consiliarij Regij, propter
factum in occipite cauterium, teste doctissimo Archiatro Ioanne
de Lacerna lucis vsuram ammisserunt. Illa propterea dictas Ar-
chiater postquam oppunasset sic scripsit: *Ex quibus omnibus conclu-
dimus nullo modo faciendas esse fontanelas in occipite; sed si libido
aperiendi conuincat, securius est in braquijs easdem facere fontanelas*
Carolus Quintum, & ferè omnes à potentissima, & nobilissima
Austriacâ Familia oriundos (testantur plures auctores) Epileptis
corripi hereditaria; & tamen cauteria capitis, sincipitis, siuè occi-
pitis, alicui illorum à medicis præscripta fuisse, adhuc omnes ig-

smus: ergo si hæc celebris antecursorum experientia, non legitur
de regibus; quare cruciamus alios? Imitemur Hipp. amplectamur
Gal. & remedijs utemur, quæ si non proficiant saltè non lædant.

F. I N I S.



original copy of the manuscript of the first edition of the
-1848- and the second edition of the first edition of the
-1848- and the second edition of the first edition of the

2 I N I F

